Philol. 428.

R
1717

II. e. 346.

Bc. 346.

M. VAL.

MARTIALIS

EPIGRAMMATON LIBRI XIIII.

*

Ex fide uetustißimorum exemplarium, quanta fieri potuit cura & vigilantia: nunc recens emendati.

J. Leuzny.



APVD SEB. GRYPHIVM LVGDVNI,
1550.

BIBLIOTH: ACADEM: DORPAT:

PLINIVS IVNIOR CORNELIO PRISCO SALVTEM.

AVdio Valeriũ Martialem deceßiſſe: & moleſtè fero. Erat homo ingenioſus, acutus, & qui plurimum in ſcribendo & ſalis haberet, & fellis, nec candoris minus. Proſecutus eram viatico ſecedentem. Dederam hoc amicitiæ, dederam etiam uerſiculis, quos de me compoſuit. Fuit moris antiqui eos qui uel ſingulorum laudes, uel urbium ſcripſerant, aut honoribus, aut pecunia ornare. Noſtris uerò temporibus, ut alia ſpecioſa & egregia, ita hoc in primis exoleuit. Nam poſtquam deſiuimus facere laudanda, laudari quoq; ineptũ putamus. Quæris qui ſint uerſiculi, quibus gratiam retulerim? Remitterem te ad ipſum uolumen, niſi quoſdam tenerem. Tu ſi placuerint hi, cæteros in libro requires. Alloquitur Muſam: mandat, ut domum meam in Exquilijs quærat, adeatq; reuerenter.

Sed ne tempore non tuo diſcrtam
Pulſes ebria ianuam, uideto.
Totos dat tetricæ dies Mineruæ.
Dum centum ſtudet auribus uirorum
Hoc, quod ſecula, poſteriq; poſſint
Arpinis quoq; comparare chartis.
Seras tutior ibis ad lucernas.
Hæc hora eſt tua, dum furit Lyæus,
Dum regnat roſa, dum madent capilli:

4-IIA 6758 1529447981

Tum me uel rigidi legant Catones.
Merito'ne eum, qui hoc de me scripsit, & tunc dimissi amicissimè, & nunc amicissimum desunctum esse doleo? Dedit enim mihi, quantum maximè potuit: daturus amplius, si potuisset. Tametsi quid homini potest dari maius quam gloria, laus, & aeternitas? Aeterna, quæ scripsit, non erunt fortasse: ille tamen scripsit, tanquam futura.
Vale.

M. VAL.

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATA.

In Amphitheatrum Cæsaris. 1

BARBARA Pyramidum sileat miracula Memphis:
Assiduus iactet nec Babylona labor:
Nec Triuiæ templo molles laudentur honores:
Dissimuletq; deum cornibus ara frequens:
Aere nec uacuo pendentia Mausolea
Laudibus immodicis Cares in astra ferant.
Omnis Cæsareo cedat labor amphitheatro:
Vnum pro cunctis fama loquatur opus.

Ad eundem Cæsarem. 2

Hic, ubi sydereus propius uidet astra colossus,
Et crescunt media pegmata celsa uia,
Inuidiosa feri radiabant atria Regis:
Vnaq; iam tota stabat in urbe domus.
Hic, ubi conspicui uenerabilis amphitheatri
Erigitur moles, stagna Neronis erant.
Hic, ubi miramur uelocia munera thermas,
Abstulerat miseris tecta superbus ager.
Claudia diffusas ubi porticus explicat umbras,
Vltima pars aulæ deficientis erat.

Reddita Roma sibi est: & sunt, te præside, Cæsar,
Deliciæ populi, quæ fuerant domini.

Ad eundem. 3

Quæ tam seposita est, quæ gens tam barbara, Cæsar,
Ex qua spectator non sit in urbe tua?
Venit ab Orphæo cultor Rhodopeius Hæmo,
Venit & epoto Sarmata pastus equo,
Et qui prima bibit deprensi flumina Nili,
Et quem suprema Tethyos unda fovit.
Festinauit Arabs, festinauere Sabæi,
Et Cilices nimbis hic maduere suis.
Crinibus in nodum tortis uenère Sicambri,
Atque aliter tortis crinibus Æthiopes.
Vox diuersa sonat: populorum est uox tamen una,
Cùm uerus patriæ diceris esse pater.

Ad eundē, quòd expulerit delatores. 4

Turba gravis paci placidæq; inimica quieti,
Quæ semper miseras sollicitabat opes,
Tradita Getulis, nec cepit arena nocentes:
Et delator habet, quod dabat, exilium.
Exulat Ausonia profugus delator ab urbe,
Impensis uitam principis annumeres.

Blanditur Cæsari. 5

Iunctam Pasiphaën Dictæo (credite) tauro
Vidimus: accepit fabula prisca fidem.
Nec se miretur, Cæsar, longæua uetustas:
Quicquid fama canit, donat arena tibi.

Blanditur eidem. 6

Belliger inuictis quòd Mars tibi sævit in armis,
Non

Non satis est, Cæsar: sævit & ipsa Venus.
Prostratum Nemees & uasta in valle leonem,
Nobile & Herculeum fama canebat opus.
Prisca fides taceat: nam post tua munera Cæsar,
Hæc iam fœminea uidimus acta manu.

Pœna Laureoli. 7

Qualiter in Scythica religatus rupe Prometheus
Assiduam nudo pectora pavit avem:
Nuda Caledonio sic pectora præbuit urso,
Non falsa pendens in cruce, Laureolus.
Viuebant laceri membris stillantibus artus:
Inq; omni nusquam corpore corpus erat.
Deniq; supplicium dederat necis ille paternæ,
Vel domini iugulum foderat ense nocens:
Templa uel arcano demens spoliauerat auro,
Subdiderat sævas uel tibi Roma faces.
Vicerat antiquæ sceleratus crimina famæ,
In quo, quæ fuerat fabula, pœna fuit.

De Dædalo. 8

Dædale, Lucano cùm sic lacereris ab urso,
Quàm cuperes pennas nunc habuisse tuas!

De Rhinocerote. 9

Præstitit exhibitus tota tibi, Cæsar, arena,
Quæ non promisit, prælia Rhinoceros.
O quam terribiles exarsit pronus in iras!
Quantus erat cornu, cui pila taurus erat!

De Leone, qui gubernatorē offendit. 10

Læserat ingrato leo perfidus ore magistrum,
Iussus tam notas contemerare manus.

Sed dignas tanto persoluit crimine pœnas:
Et qui non tulerat uerbera, tela tulit.
Quos decet esse hominum tali sub principe mores,
Qui iubet, ingenium mitius esse feris?

De Vrso. 11

Præceps sanguinea dum se rotat ursus arena,
Implicitam uisco perdidit ille fugam.
Splendida iam tecto cessent uenabula ferro,
Nec uolet excussa lancea torta manu:
Deprendat uacuo uenator in uere prædam,
Si captare feras aucupis arte placet.

De Sue, quæ ex uulnere peperit. 12

Inter Cæsareæ discrimina sæua Dianæ
Fixisset grauidam cùm leuis hasta suem,
Exilyt partus miseræ de uulnere matris.
O Lucina ferox, hoc peperisse fuit?
Pluribus illa mori uoluisset saucia telis,
Omnibus ut natis triste pateret iter.
Quis negat esse satum materno funere Bacchum?
Sic genitum numen credite: nata fera est.

De eadem. 13

Tela graui telo confossa; uulnere mater
Sus periter ictam perdidit, atq; dedit.
O quàm certa fuit librato dextera ferro!
Hanc ego Lucinæ credo fuisse manum.
Experta est numen moriens utriusq; Dianæ,
Quaq; soluta parens, quaq; perempta fera est.

De eadem. 14

Sus fera tam grauior, maturi pignora uentris,

Emisit

Emisit fœtum, uulnere facta parens.
Nec iacuit partus, sed matre cadente cucurrit.
O quantum est subitis casibus ingenium!

De Carpophoro. 15

Summa tuæ, Meleagre, fuit quæ gloria famæ,
Est quota Carpophori portio, saeus aper?
Ille & præcipiti uenabula condidit urso,
Primus in Arctoi qui fuit arce poli:
Strauit & ignota spectandum mole leonem,
Herculeas potuit qui decuisse manus:
Et uolucrem longo porrexit uulnere pardum,
Præmia cùm laudis ferret, adhuc poterat.

De Tauro. 16

Raptus abit media quòd ad æthera taurus arena,
Non fuit hoc artis, sed pietatis opus.
Vexerat Europen fraterna per æquora taurus:
At nunc Aliciden taurus in astra tulit.
Cæsaris, atq; Iouis conser nunc stemma iuuentus:
Par onus ut tulerint, altius ille tulit.

De supplice Elephante. 17

Quòd pius & supplex elephas te, Cæsar, adorat,
Hic modò qui tauro tam metuendus erat,
Non facit hoc iussus, nulloq; docente magistro:
Crede mihi, numen sentit & ille tuum.

De Tigride, & Leone. 18

Lambere securi dextram consueta magistri
Tigris ab Hyrcano gloria rara iugo,
Sæua ferum rabido laceranit dente leonem:
Res noua, non ullis cognita temporibus.

Aufa eſt tale nihil ſyluis dum uixit in altis:
Poſtquam inter nos eſt, plus feritatis habet.

De Elephante. 19

Qui modò per totam flammis ſtimulatus arenam
Suſtulerat raptas taurus in aſtra pilas,
Occubuit tandem cornuto ardore petitus,
Dum facilem tolli ſic elephanta putat.

Aſſentatur Cæſari. 20

Dũ peteret pars hæc Myrinũ, pars illa Triumphũ,
Promiſit pariter Cæſar utraq; manu.
Non potuit melius litem finire iocoſam.
O dulce inuicti principis ingenium!

Ad Cæſarem. 21

Quicquid in Orpheo Rhodope ſpectaſſe theatro
Dicitur, exhibuit, Cæſar, arena tibi.
Repſerunt ſcopuli, mirandaq; ſylua cucurrit:
Quale fuiſſe nemus creditur Heſperidum.
Affuit immiſtum pecudum genus omne ferarum:
Et ſupra uatem multa pependit auis.
Ipſe ſed ingrato iacuit laceratus ab urſo.
Hæc tamen ut res eſt facta, ita ficta alia eſt.

De Rhinocerote. 22

Sollicitant pauidi dum Rhinocerota magiſtri,
Seq; diu magnæ colligit ira feræ,
Deſperabantur promiſſi prælia Martis:
Sed tamen is rediit cognitus antè furor.
Nanq; grauem gemino cornu ſic extulit urſum,
Iactat ut impoſitas taurus in aſtra pilas.

De

De Carpophoro. 23

Dorica quam certo uenabula dirigit ictu
Fortis adhuc teneri dextera Carpophori!
Ille tulit geminos facili ceruice iuuencos,
Illi ceſſit atrox bubalus, atq; biſon.
Nunc leo cum fugeret, præceps in tela cucurrit.
I nunc, & lentas corripe, turba, moras.

De Naumachia Domitiani. 24

Si quis ades longis ſerus ſpectator ab oris,
Cui lux prima ſacri muneris ipſa fuit,
Ne te decipiat ratibus nauale Enyo,
Et par unda fretis: hic modò terra fuit.
Non credis? ſpectes, dum laxent æquora Martem:
(Parua mora eſt) dices, Hic modò pontus erat:

De Leandro. 25

Quòd nocturna tibi, Leandre, pepercerit unda,
Deſine mirari: Cæſaris unda fuit.
Cùm peteret dulces audax Leandrus amores,
Et ſeſſus tumidis iam premeretur aquis:
Sic miſer inſtantes affatus dicitur undas:
Parcite, dum propero: mergite, dum redeo.

De Natatoribus. 26

Luſit Nereidum docilis chorus æquore toto,
Et uario faciles ordine pinxit aquas.
Fuſcina dente minax, nexu fuit anchora curuo:
Credidimus remum, credidimusq; ratem,
Et gratum nautis ſydus fulgere Laconum,
Lataq; perſpicuo uela tumere ſinu.
Quis tantas liquidis artes inuenit in undis?

Aut

Aut docuit lusus hos Thetis, aut didicit.

Blanditur Cæsari. 27

Secula Carpophorum, Cæsar, si prisca tulissent,
Iam nullum monstris orbe fuisset opus.
Non Marathon taurum, Nemee frondosa leonem
Arcas Mænalium non timuisset aprum.
Hæc armata manus hydræ mors una fuisset:
Huic percussa foret tota Chimæra semel.
Ignipedes posset sine Colchide uincere tauros,
Soluere & Hesionem solus, & Andromeden.
Herculeæ laudis numeretur gloria: plus est,
Bis denas pariter perdomuisse feras.

Laus Augusti. 28

Augusti laudes fuerant committere classes,
Et freta naualli sollicitare tuba.
Cæsaris hæc nostri pars est quota? Vidit in undis
Et Thetis ignotas, & Galatea feras.
Vidit in æquoreo feruentes puluere currus,
Et domini Triton ipse putauit equos.
Dumq; parat scuis ratibus fera prælia Nereus,
Abnuit in liquidis ire pedester aquis.
Quicquid & in circo spectatur, & amphitheatro,
Dines Cæsarea præstitit unda tibi.
Fucinus & pigri taceantur stagna Neronis:
Hanc norint unam secula naumachiam.

M. VAL.

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATON LIBER PRIMVS.

SPERO me seruaturum in libellis meis tale temperamentum, ut de illis queri non possit, quisquis de se bene senserit: cum salua infimarum quoq; personarum reuerentia, ludant, quæ adeò antiquis auctoribus defuit, ut nominibus non tantùm ueris abusi sint, sed etiam magnis. At mihi fama uilius constet, & probetur in me nouissimum ingenium. Absit à iocorum nostrorum simplicitate malignus interpres: nec epigrammata mea scribat. Improbè facit, qui in alieno libro ingeniosus est. Lasciuam uerborum licentiam, id est, epigrammaton linguam excusarem, si meum esset exemplum. Sic scripsit Catullus, sic Marsus, sic Pedo, sic Getulicus, sic quicunq; perlegitur. Si quis tamen tam ambitiosè tristis est, ut apud illum in nulla pagina Latinè loqui fas sit, potest epistola, uel potius titulo, contentus esse. Epigrammata illis scribuntur, qui solent spectare Florales. Non intret Cato theatrum nostrum: aut, si intrauerit, spectet. Videor mihi meo iure facturus, si epistolam uersibus clausero.

Ad.

Ad Catonem. 1

Nosses iocosæ dulce cùm sacrum Floræ,
Festosq; lusus, & licentiam vulgi,
Cur in theatrum, Cato seuere, uenisti?
An ideò tantùm ueneras, ut exires?

Ad Lectorem. 2

Hic est, quem legis, ille, quem requiris,
Toto notus in orbe Martialis
Argutis epigrammaton libellis:
Cui, lector studiose, quod dedisti
Viuenti decus, atq; sentienti,
Rari post cineres habent poëtæ.

Ad Librum suum. 3

Argiletanas mauis habitare tabernas,
Cùm tibi parue liber scrinia nostra uacent.
Nescis, heu, nescis dominæ fastidia Romæ:
Crede mihi nimium Martia turba sapit.
Maiores nusquam rhonchi: iuuenesq; senesq;,
Et pueri nasum rhinocerotis habent.
Audieris cùm grande sophos, dum basia captas,
Ibis ab excusso missus in astra sago.
Sed tu, ne toties domini patiare iniuras,
Ne'ue notet lusus tristis arundo tuos,
Aethereas, lasciue, cupis uolitare per auras,
I, fuge: sed poteras tutior esse domi.

Ad Lectorem, ubi libri uenales. 4

Qui tecum cupis esse meos ubicunq; libellos,
Et comites longæ quæris habere uiæ,
Hos eme, quos arctat breuibus membrana tabellis.
Scrinia

Scrinia da magnis: me manus una capit.
Ne tamen ignores ubi sim uenalis, & erres
Vrbe uagus tota: me duce, certus eris.
Libertum docti Lucensis quære Secundum,
Limina post Pacis, Palladiumq; forum.

Ad Cæsarem. 5

Contigeris nostros, Cæsar, si fortè libellos,
Terrarum dominum pone supercilium.
Consueuere iocos uestri quoq; ferre triumphi:
Materiam dictis nec pudet esse ducem.
Qua Thymelen spectas, derisoremq; Latinum,
Illa fronte, precor, carmina nostra legas.
Innocuos censura potest permittere lusus.
Lasciua est nobis pagina, uita proba est.

Ad Marcum. 6

Do tibi naumachiam, tu das epigrammata nobis.
Vis, puto, cum libro, Marce, natare tuo.

De leone Cæsaris. 7

Aethereas aquila puerum portante per auras,
Illæsum timidis unguibus hæsit onus.
Nunc sua Cæsareos exorat præda leones:
Tutus & ingenti ludit in ore lepus.
Quæ maiora putas miracula? summus utrisq;
Autor adest: hæc sunt Cæsaris, illa Iouis.

Ad Maximum, de columba Stellæ. 8

Stellæ delicium mei columba,
Verona licet audiente dicam,
Vicit, Maxime, passerem Catulli,

Tanto

Tanto Stella meus tuo Catullo,
Quanto passere maior est columba.

Deciani dogma laudat. 9

Quòd magni Thraseæ, consummatiq; Catonis
Dogmata sic sequeris, salvus ut esse velis,
Pectore nec nudo strictos incurris in enses:
Quod fecisse velim te, Deciane facis.
Nolò virum facilè redimit qui sanguine famam:
Hunc volo, laudari qui sine morte potest.

Iocatur in Cottam. 10

Bellus homo & magnus vis idem Cotta videri.
Sed qui bellus homo est, Cotta pusillus homo e

De Gemello, & Maronilla. 11

Petit Gemellus nuptias Maronillæ:
Et cupit, & instat, & precatur, & donat.
Adeò ne pulchra est? immo fœdius nil est.
Quid ergo in illa appetitur, & placet? insit.

Ad Sextilianum potorem. 12

Cùm data sint equiti bis quinq; nomismata, quæ
Bis decies solus, Sextiliane, bibis?
Iam defecisset portanteis calda ministros,
Si non potares, Sextiliane, merum.

De Regulo. 13

Itur ad Herculei gelidas qua Tyburis arces,
Canaq; sulphureis Albula fumat aquis,
Rura nemusq; sacrum, dilectaq; ingera Musis
Signat uicina quartus ab urbe lapis.
Hic rudis æstiuas præstabat porticus umbras.
Heu quàm penè nouum porticus ausa nephas!

Nam

Nam subitò collapsa ruit, cùm mole sub illa
Gestatus bijugis Regulus esset equis.
Nimirum timuit nostras fortunæ querelas,
Quæ par tam magnæ non erat inuidiæ.
Nunc & damna iuuant: sunt ipsa pericula tanti:
Stantia non poterant tecta probare Deos.

De Arria, & Pæto. 14

Casta suo gladium cùm traderet Arria Pæto,
Quem de uisceribus traxerat ipsa suis,
Si qua fides, Vulnus, quod feci, non dolet, inquit:
Sed quod tu facies, hoc mihi, Pæte, dolet.

Ad Cæsarem. 15

Delicias, Cæsar, lususq; iocosq; leonum
Vidimus: hoc etiam præstat arena tibi,
Cùm prensus blando toties à dente rediret,
Et per aperta uagus curreret ora lepus.
Vnde potest auidus captæ leo parcere prædæ?
Sed tamen esse tuus dicitur: ergo potest.

De Leone, & Lepore. 16

Rictibus his tauros non eripuere magistri,
Per quos præda fugax, itq; reditq; lepus.
Quodq; magis mirum, uelocior exit ab hoste:
Nec nihil à tanta nobilitate refert.
Tutior in sola non est cùm currit arena,
Nec caueæ tanta conditur ille fide.
Si uitare canam morsus, lepus improbe, quæris,
Ad quæ confugias, ora leonis habes.

Ad Licianum, de Hispaniæ locis. 17

Vir Celtiberis non tacende gentibus,

Noſtræq; laus Hiſpaniæ.
Videbis altam Liciane Bilbilim
Equis & armis nobilem:
Sterilemq; canum niuibus effractis ſacrum
Vada Veronem montibus:
Et delicati dulce Botrodi nemus,
Pomona quod felix amat.
Tepida natabis lenè Cogedi uada,
Mollesq; Nympharum lacus,
Quibus remiſſum corpus aſtringes breui
Salone, qui ferrum gelat:
Præſtabit illic ipſa figendas propè
Voberta prandenti feras.
Aeſtus ſerenos aureo franges Tago
Obſcurus umbris arborum.
Auidam rigens Dircenna placabit ſitim,
Et Nemea, quæ uincit nines.
At cùm December canus, & Bruma impotens
Aquilone ranco mugiet,
Aprica repetes Tarraconis littora,
Tuamq; Laletaniam.
Ibi illigatas mollibus damas plagis
Mactabis, & uernas apros,
Leporemq; forti callidum rumpes equo:
Cernos relinques uillico.
Vicina in ipſum ſylua deſcendet focum
Inſante cinctum ſordido.
Vocabitur uenator, & ueniet tibi
Conuiua clamatus propè.

Lunat

Lunata nuſquam pellis, & nuſquam togæ,
Olidæq; neſtes muricè.
Procul horridus Liburnus, & querulus elicns:
Imperia uiduarum procul.
Non rumpet altum pallidus ſomnum reus:
Sed mane totum dormies.
Mercetur alius grande & inſanum ſophos:
Miſerere tu felicium,
Veroq; fruere non ſuperbus gaudio,
Dum Sura laudetur tuus.
Non impudenter uiua, quod reliquum eſt, petit,
Cùm fama, quod ſatis eſt, habet.

Locus ex Homero in Cocum. 18

Si tibi Miſtyllus cocus Aemiliane uocatur,
Dicetur quare non Taratalla mihi?

Ad Leporem. 19

Non facit ad ſæuos ceruix, niſi prima, leones:
Quid fugis hos dentes, ambitioſè lepus?
Scilicet a magnis ad te deſcendere tauris,
Et, quæ non cernunt frangere colla uelint.
Deſperanda tibi eſt ingentis gloria fati:
Non potes hoc tenuis præda ſub hoſte mori.

Quintianum facit aſſertorem. 20

Commendo tibi, Quintiane, noſtros,
Noſtros dicere ſi tamen libellos
Poſſum, quos recitat tuus poëta.
Si de ſeruitio graui queruntur,
Aſſertor uenias, ſatisq; præſtes.
Et cùm ſe dominum uocabit ille,

Dicas esse meos, manuq; missos.
Hoc si terq;, quaterq; clamitaris,
Impones plagiario pudorem.

Ad Fidentinum. 21

Vna est in nostris tua, Fidentine, libellis
Pagina, sed certa domini signata figura,
Quæ tua traducit manifesto carmina furto.
Sic interposito uilis contaminat uncto
Vrbica Lingonicus Tyrianthina bardocucullus:
Sic Arretinæ uiolant crystallina testæ:
Sic niger, in ripis errat cùm fortè Caystri,
Inter Ledæos ridetur coruus olores:
Sic ubi multisona feruet sacer Atthide lucus,
Improba Cecropias offendit pica querelas.
Indice non opus est nostris, nec uindice, libris.
Stat contrà, dicitq; tibi tua pagina, fur es,

De Amicorum iudicio. 22

Si quid Fusce uacas adhuc amari,
(Non sunt hinc tibi, sunt & hinc amici.)
Vnum, si superest, locum rogamus.
Nec me, quòd tibi sum nouus, recuses.
Omnes hoc ueteres tui fuerunt.
Tu tantùm inspice, qui nouus paratur,
An possit fieri uetus sodalis.

Ad Frontonem, de uoto uitæ suæ. 23

Vota tui breuiter si uis cognoscere Marci,
Clarum militiæ, Fronto, togæq; decus:
Hoc petit, esse sui, nec magni, ruris arator:
Sordidaq; in paruis otia rebus amat.

Quisq

Quisquam picta colit Spartani frigora saxi,
Et matutinum portat ineptus Aue,
Cui licet exigui nemoris, rurisq; beati
Ante focum plenas explicuisse plagas?
Et piscem tremula salientem ducere seta,
Flauaq; de rubro promere mella cado?
Pinguis inæquales onerat cui uillica mensas,
Et sua non emptus præparat oua cinis?
Non amet hanc uitam, quisquis me non amat, opto:
Viuat & urbanis albus in officijs.

Ad Cauponem. 24

Continuis uexata madet uindemia nimbis:
Non potes, ut cuperes, uendere, Caupo, merum.

Ad Flaccum. 25

Qualem Flacce uelim, quæris, nolim'ue puellam?
Nolo nimis facilem, difficilemq; nimis.
Illud quod mediũ est, atq; inter utrunq;, probamus.
Nec uolo, quod cruciat: nec uolo, quod satiat.

De Pueri pretio. 26

Millia pro puero centum me mango poposcit.
Risi ego: sed Phœbus protinus illa dedit.
Hoc dolet: & queritur, dolet hoc mea mẽtula mecũ,
Laudaturq; meam Phœbus in inuidiam.
Sed sestertiolum donauit mentula Phœbo
Bis decies: hoc da tu mihi, pluris emam.

Ad Flaccum de sportula. 27

Dat Baiana mihi quadrantes sportula centum,
Inter delicias quid facit ista fames?
Redde Lupi nobis, tenebrosaq; balnea Grylli.

Tum male cùm cœnem, cur bene Flacce lauor?

De Lepore, & Leone. 28

Inter ampla licet torui lepus ora leonis,
Esse tamen uacuo se leo dente putat.
Quod ruet in tergum, uel quos procùbet in armos?
Aita iuuencorum uulnera figet ubi?
Quid frustra nemorum dominum, regemq; fatigas?
Non nisi delecta pascitur ille fera.

Ad Licianum Scriptores unde. 29

Verona doctis syllabas amat uatis.
Mavone felix Mantua est.
Censetur Apona Livio suo tellus,
Stellaq; nec Flacco minus.
Apollodoro plaudit imbrifer Nilus:
Nesone Peligni sonant.
Duosq; Senecas, unicumq; Lucanum
Facunda loquitur Corduba.
Gaudent iocosæ Canio suo Gades,
Emerita Deciano meo.
Te Liciane gloriabitur nostra,
Nec me tacebit Bilbilis.

De Leuina casta, & ad Baias adultera. 30

Casta, nec antiquis cedens Leuina Sabinis,
Et quamuis tetrico tristior ipsa uiro,
Dum modò Lucrino, modò se permittit Auerno
Et dum Baianis sæpe fouetur aquis,
Incidit in flammas, iuuenemq; secuta, relicto
Coniuge, Penelope uenit, abit Helene.

Ad Celerem. 31

Vt recitem tibi nostra rogas epigrammata, nolo:
Non audire, Celer, sed recitare cupis.

Ad Fabullam ambitiosam. 32

Bella es: nouimus: & puella: uerum est:
Et dives: quis enim potest negare?
Sed dum te inimium, Fabulla, laudas,
Nec dives, neq; bella, nec puella es.

Ad Cæcilianum: De genere, & declinatione ficus. 33

Cùm dixi, ficus, rides quasi barbara uerba:
Et dici, ficos, Cæciliane, iubes.
Dicemus ficus, quas scimus in arbore nasci:
Dicemus ficos, Cæciliane tuos.

Ad furem de libro suo. 34

Erras, meorum fur auare librorum,
Fieri poëtam posse qui putas tanti,
Scriptura quanti constet, & tomus uilis.
Non sex paratur, aut decem sophos nummis.
Secreta quære carmina, & rudes curas,
Quas nouit unus scrinioq; signatas
Custodit ipse uirginis pater charta,
Quæ trita duro non inhorruit mento.
Mutare dominum non potest liber notus,
Sed pumicata fronte si quis est nondum,
Nec umbilicis cultus, atque membrana,
Mercare tales ab eo: nec sciet quisquam
Aliena quisquis recitat, & quærit famam,
Non emere librum, sed silentium debet.

Ad Chærulum. 35

Liber homo es nimium, dicis mihi: Chærule, sempr.
In te quà dicit, Chærule, liber homo est.

De Rufo & Næuia. 36

Quicquid agit Rufus, nihil est, nisi Næuia Rufo.
Si gaudet, si flet, si tacet, hanc loquitur.
Cœnat, propinat, poscit, negat, innuit: una est
Næuia: si non sit Næuia, mutus erit.
Scriberet hesterna patri cùm luce salutem,
Næuia lux, inquit, Næuia numen, aue.
Hæc legit, & videt de missô Næuia uultu.
Næuia non una est: quid uir inepte furis?

Ad Maximum. 37

Cepit Maxime Pana, quæ solebat
Nunc ostendere Cantum, Terentos.

Ad librum. 38.

Vade salutatum: pro me liber ire iuberis
Ad Proculi nitidos officiose lares.
Quæris iter? dicam. Vicinum Castora cana
Transibis Vestæ, uirgineamq; domum.
Inde sacro ueneranda petes pallatia cliuo,
Plurima qua summi fulget imago ducis.
Nec te detineat miri radiata Colossi,
Quæ Rhodium moles uincere gaudet opus.
Flectere uias hac, quà madidi sunt tecta Lyæi,
Et Cybeles picto stat Corybante tholus.
Protinus a leua clari sub fronte penates,
Atriaq; excelsæ sunt adeunda domus.
Hanc pete, ne metuas fastus, limenq; superbum:

Nu

Nulla magis toto ianua patet foste:
Nec propior quàm Phœbus amat, doctæq; sorores.
Si dicet, Quare non tamen ipse uenit?
Sic licet excuses, Quia qualiacunq; leguntur
Ista, salutator scribere non potuit.

Ad Somnum. 39

Næuia sex cyathis, septem Iustina bibatur,
Quinq; Lycas, Lyde quatuor, Ida tribus.
Omnis ab infuso numeretur amica Falerno:
Et quia nulla uenit, tu mihi Somne ueni.

Ad Fidentinum. 40

Nostris uersibus esse te poëtam,
Fidentine, putas, cupisq; credi.
Sic dentata sibi uidetur Aegle,
Emptis ossibus, Indicoq; cornu.
Sic, quæ nigrior est cadente more,
Cerussata sibi placet Lycoris.
Hac & iam ratione, qua poëta es,
Caluus cùm fueris, eris comatus.

Ad Cæcilianum. 41

Nullus in urbe fuit tota, qui tangere uellet
Vxorem gratis, Cæciliane, tuam.
Dum licuit: sed nunc positis custodibus, ingens
Turba sututorum est, ingeniosus homo es.

Ad Paulam. 42

Mœchus erat: poteras tamen hoc tu Paula negare.
Ecce uir est: nunquid, Paula, negare potes?

De Lino. 43

Dimidium donare Lino, quàm credere totum,

Qui mauult mauult, perdere dimidium.

Ad Flaccum. 44

O mihi curarum pretium non uile mearum,
Flacce Antenorei spes, & alumne laris.
Pierios differ cantusq́; chorosq́; sororum:
Aes dabit ex istis nulla puella tibi.
Quid petis à Phœbo? nũmos habet arca Minerua
Hæc sapit, hæc omnis fœnerat una deos.
Qui possunt hederæ Bacchi dare? Palladis arbor
Inclinat uarias pondere nigra comas.
Præter aquas Helicon, & serta, lyrasq́; deorum
Nil habet, & magnum semper inane sophos.
Quid tibi cũ Cirrha? quid cum Permeßidos unda
Romanum propius, diuitiusq́; forum est.
Illic æra sonant, at circum pulpita nostra,
Et steriles cathedras, basia sola crepant.

De Charino. 45

Pulchrè ualet Charinus: & tamen pallet.
Parcè bibit Charinus: & tamen pallet.
Bene concoquit Charinus: & tamen pallet.
Tingit cutem Charinus: & tamen pallet.
Cunnum Charinus lingit, & tamen pallet.

De Festo. 46

Indignas premeret pestis, cùm tabida fauces,
Inq́; ipsos uultus serperet atra lues,
Siccis ipse genis flentes hortatus amicos,
Decreuit Stygios Festus adire lacus.
Nec tamen obscuro pia polluit ora ueneno,
Aut torsit lenta tristia fata fame:

Sanctam

Sanctam Romana uitam sed morte peregit,
Dimisitq́; animam nobiliore rogo.
Hanc mortem satis magni præferre Catonis
Fama potest: huius Cæsar amicus erat.

Ad Attalum. 47

Semper agis causas, & res agis Attale semper.
Est, non est, quod agas, Attale, semper agis.
Si res, & causæ desunt: agis, Attale, mulas.
Attale, ne quod agas desit, agas animam.

Ad Canum. 48

Sportula, Cane, tibi suprema nocte petita est.
Occidit puto te Cane, quòd una fuit.

Ad Sosibianum. 49

E seruo scis te genitum, blandeq́; fateris,
Cùm dicis dominum, Sosibiane, patrem.

De Regulo. 50

Hæc, quæ puluere dißipata multo
Longas porticus explicat ruinas,
En quanto iacet absoluta casu.
Testis nam modò Regulus sub illis
Gestatus fuerat, receßeratq́;:
Victa est pondere cum suo repente:
Et postquam dominum nihil timebat,
Securo ruit interuenta damno.
Tantæ, Regule, post metum querelæ.
Quis curam neget esse te deorum,
Propter quem fuit innocens ruina?

De Manuella. 51

Os, & labra tibi lingit, Manuella, catellus.

Non

Non miror, merdas si libet esse cani.

De Quirinali. 52

Vxorem habendam non putat Quirinalis,
Cùm uult habere filios: & inuenit,
Quo possit istud more? sutuit ancillas,
Domumq;, & agros implet equitibus uernis,
Pater familiæ uerus est Quirinalis.

De Mario. 53

Venderet excultos colles cùm præco facetus,
Atque suburbani iugera pulchra soli,
Errat, ait, si quis Mario putat esse necesse
Vendere: nil debet, fœnerat immò magis.
Quæ ratio est igitur? Seruos ubi perdidit omnes,
Et pecus, & fructus, non amat inde locum.
Quis faceret pretium, nisi qui sua perdere uellet
Omnia? sic Mario noxius hæret ager.

De Nouio Microspico. 54

Vicinus meus est, manuq; tangi
De nostris Nouius potest fenestris.
Quis non inuideat mihi? putetq;
Horis omnibus esse me beatum,
Iuncto cui liceat frui sodale?
Tam longè est mihi, quàm Terentianus,
Qui nunc Niliacam regit Syenen.
Non conuiuere, nec uidere saltem,
Non audire licet: nec urbe tota
Quisquam est tam propè, tam proculq; nobis.
Migrandum est mihi longius, uel illi.
Vicinus Nouio, uel inquilinus

Sit

Sit, si quis Nouium uidere non uult.

Ad Fescenniam. 55

Ne grauis hesterno fragres, Fescennia, uino,
Pastillos Cosmi luxuriosa uoras.
Ista linunt dentes ientacula: sed nihil obstant,
Extremo ructus cùm uenit à barathro.
Quid, quòd olet grauius mistum diapasmate uirus,
Atque duplex animæ longius exit odor?
Notas ergo nimis fraudes, deprensaq; furta
Iam tollas, & sis ebria simpliciter.

Ap Alcimum. 56

Alcime, quem raptum domino crescentibus annis
Labicana leui cespite uelat humus,
Accipe non Phario nutantia pondera saxo,
Quæ cineri uañus dat ruitura labor:
Sed fragiles buxos, & opacas palmitis umbras,
Quæq; uirent lacrymis humida prata meis.
Accipe chare puer, nostri monumenta doloris:
Hic tibi perpetuo tempore uiuit honor.
Cùm mihi supremos Lachesis peruenerit annos,
Non aliter cineres mando iacere meos.

Ad Cinnam. 57

Garris in aurem semper omnibus, Cinna:
Garris & illud, teste quod licet turba.
Rides in aurem, quereris, arguis, ploras:
Cantas in aurem, iudicas, taces, clamas.
Adeo'ne penitus sedit hic tibi morbus,
Vt sæpe in aurem Cinna Cæsarem laudes?

Ad

Ad Bassam tribadem, 58

Quòd nunquam maribus iunctã te, Bassa, uidebã
Quodq́; tibi mœchum fabula nulla dabat,
Omne sed officium circa te semper obibat
Turba tui sexus, non adeunte uiro,
Esse uidebaris (fateor) Lucretia nobis:
At tu (prò facinus) Bassa, tutor eras.
Inter se geminos audes committere cunnos:
Mentiturq́; uirum prodigiosa Venus.
Cõmenta es dignũ Thebano ænigmate monstrum:
Hic, ubi uir non est, ut sit adulterium.

Ad Lælium. 59

Cùm tua edas, carpis mea carmina, Læli.
Carpere uel noli nostra, uel ede tua.

Ad Mamurianum. 60

Sæpe mihi queritur non siccis Cestos ocellis,
Tangi se digito, Mamuriane, tuo.
Non opus est digito: totum tibi Cestion habeto,
Si de est nil aliud, Mamuriane, tibi.
Sed si nec focus est, nudi nec sponda grabati,
Nec curtus Chiones, Antiopes ue calix:
Cerea si pendet lombis, & trita lacerna,
Dimidiasq́; nates Gallica palla tegit:
Pasceris, & nigræ solo nidore culinæ,
Et bibis immundam cum cane pronus aquam:
Non culũ (neq; enim est culus, qui non cacat olim)
Sed fodiam digito, qui supereſt, oculum.
Nec me zelotypum, nec dixeris esse malignum.
Denique pædica, Mamuriane, satur.

De Aquino. 61

Fabricio iunctus fido requieſcit Aquinus,
Qui prior Elysias gaudet abisse domos.
Ara duplex primi testatur munera pili.
Plus tamen est, titulo quod breuiore legis.
Iunctus uterque sacro laudatæ fœdere uitæ,
Famaq́; quod raro nouit, amicus erat.

Ad Aeglen fellatricem. 62

Cantasti male, dum fututa es, Aegle.
Iam canas bene: basianda non es.

Ad Helium. 63

Quòd clamas semp, quòd agẽtibus obstrepis, Helli,
Non facis hoc gratis: accipis, ut taceas.

Ad Scazontem, de fellatore quodam. 64

Si non molestum est, teq́; non piget Scazon,
Nostro, rogamus, pauca uerba Materno
Dicas in aurem, sic ut audiat solus.
Amator ille tristium lacernarum,
Et bæticatus, atque leucophæatus,
Qui coccinatos non putat uiros esse,
Amethystinasq́; mulierum uocat uestes,
Natiua laudet, habeat & licet semper
Fuscos colores, Galbanos habet mores.
Rogabit, unde suspicer uirum mollem.
Vnà lauamur, aspicit nihil sursum:
Sed spectat oculis deuorantibus draucos,
Nec otiosis mentulas uidet labris.
Queris quis hic sit? excidit mihi nomen.

Ad Nævolum causidicum. 65

Cùm clamant omnes, loqueris tu, Nævole semper
Et te patronum, & causidicum q; putas.
Hac ratione potest nemo non esse disertus.
Ecce tacent omnes, Nævole, dic aliquid.

Ad Flaccum. 66

Litigat & podagra Diodorus, Flacce, laborat.
Sed nil patrono porrigit: hæc chiragra est.

Ad Calenum Auarum. 67

Non plenum modò uicies habebas:
Sed tam prodigus, atque liberalis,
Et tam lautus eras, Calene, ut omnes
Optarent tibi centies amici.
Audit uota deus, preces q; nostras:
Atque intra puto septimas calendas
Mortes hoc tibi quattuor dederunt.
At tu sic, quasi non foret relictum,
Sed raptum tibi centies, abisti
In tantam miser cisitionem,
Vt conuiuia sumptuosiora,
Toto quæ semel apparas in anno,
Nigræ sordibus explices monetæ,
Et septem ueteres tui sodales
Constemus tibi plumbea selibra.
Quid dignum meritis precemur istis?
Optemus tibi milites, Calene.
Hoc si contigerit, fame peribis.

De Afra uetula. 68

Mammas, atq; tatas habet Afra: sed ipsa tatarum
Dici, & mammarum maxima mamma potest.

De Demetrio. 69

Illa manus quondam studiorum fida meorum,
Et felix domino, notaq; Cæsaribus,
Destituit primos uirides Demetrius annos:
Quarta tribus lustris addita messis erat.
Ne tamen ad Stygias famulus descenderet umbras,
Vereret implicitum cùm scelerata lues,
Cauimus, & domini ius omne remisimus ægro,
Munere dignus erat conualuisse meo.
Sensit deficiens sua præmia, meq; patronum
Dixit, ad infernas liber iturus aquas.

Ad Lycorim. 70

Qui pinxit Venerem tuam Lycori,
Blanditus, puto, pictor est Minervæ.

Ad Scævolam. 71

Si dederint superi decies mihi millia centum,
Dicebas, nondum, Scæuola, factus eques:
Qualiter ô uiuam! quàm largè, quamq; beatè!
Riserunt faciles, & tribuere Dei.
Sordidior multò post hoc toga, pœnula peior:
Calceus est sarta terq; quaterq; cute.
Decq; decem plures semper seruantur oliuæ:
Explicat & cœnas unica mensa duas.
Et Veientani bibitur fæx crassa rubelli:
Asse cicer tepidum constat, & asse Venus.
Tu ius, ô fallax, atq; inficiator, camus:
Aut nine, aut decies, Scæuola, redde Deis.

Ad Iulium. 72

O mihi post nullos, Iuli memorande sodales,
Si quid longa fides, canaq; iura valent:
Bis iam penè tibi Consul trigesimus instat,
Et numerat paucos uix tua uita dies.
Non bene distuleris, uideas quod posse negari:
Et solum hoc ducas, quod fuit esse tuum.
Expectant curaeq; catenatiq; labores:
Gaudia non remanent, sed fugitiua uolant.
Haec utraq; manu, complexuq; assere toto:
Sæpe fluunt imo sic quoq; lapsa sinu.
Non est, crede mihi, sapientis dicere, Viuam.
Sera nimis uita est crastina: uiue hodie.

Ad Auitum. 73

Sunt bona, sunt quædā mediocria, sunt mala plura
Quæ legis: hic aliter non fit, Auite, liber.

Ad Titum. 74

Cogit me Titus actitare causas:
Et dicit mihi sæpe, Magna res est.
Res magna est Tite, quam facit colonus.

Ad Tuccam. 75

Quid te Tucca iuuat uetulo miscere Falerno
In Vaticanis condita mustа cadis?
Quid tantum fecere boni tibi pessima uina?
Aut quid fecerunt optima uina mali?
De nobis facile est: scelus est ingulare Falernum:
Et dare Campano toxica sæua mero.
Conuiuæ meruere tui fortasse perire:
Amphora non meruit tam pretiosa mori.

Ad Aeliam. 76

Si memini, fuerant tibi quatuor, Aelia, dentes.
Expuit una duos tussis, & una duos.
Iam secura potes totis tussire diebus.
Nil istic quod agat, tertia tussis habet.

Ad Cæcilianum. 77

Dic mihi quis furor est? turba spectante uocata,
Solus boletos, Cæciliane, uoras.
Quid dignum tanto uentriq; gulaeq; precabor?
Boletum, qualem Claudius edit, edas.

De Porsena, & Scæuola. 78

Dum peteret regem decepta satellite dextra,
Iniecit sacris se periturа focis.
Sed tam sæua pius miracula non tulit hostis:
Et raptum flammis iussit abire uirum.
Vere quam potuit contempto Mutius igne,
Hanc spectare manum Porsena non potuit.
Maior deceptæ fama est, & gloria dextræ.
Si non errasset, fecerat illa minus.

De Leone, & Lepore. 79

Quid nunc sæua fugis placidi, lepus, ora leonis?
Frangere tam paruis non didicere feras.
Seruantur magnis isti cernicibus ungues:
Nec gaudet tenui sanguine tanta sitis.
Præda canum lepus est: nasos non implet hiatus.
Non timet at Dacus Cæsaris arma puer.

Ad Cottam. 80

Inuitas nullum, nisi cum quo Cotta lauaris,
Et dant conuiuam balnea sola tibi.

Mirabar, quare nunquam me Cotta uocasset.
Iam scio me nudam displicuisse tibi.

Ad Decianum, de Ilo. 81

Aspicis incomptis Ilum, Deciane, capillis,
Cuius & ipse times triste supercilium?
Qui loquitur Curios, assertoresq; Camillos?
Nolito fronti credere: nupsit heri.

Ad Faustinum. 82

Ede tuos tandem populo, Faustine, libellos,
Et cultum docto pectore profer opus,
Quod nec Cecropiæ damnent Pandionis arces,
Nec sileant nostri, præterearitq; senes.
Ante fores stantem dubitas admittere famam?
Teq; piget curæ præmia ferre tuæ?
Post te uiduræ per te quoq; uiuere chartæ
Incipiant: cineri gloria sera uenit.

Ad Sextiliarum. 83

Sextiliane bibis, quantum subsellia quinq;
Solus: aqua toties ebrius esse potes.
Nec consessorum uicina nomismata tantum,
Aera sed & cuneis ulteriora petis.
Non hæc Peligni agitur uindemia prælis:
Vua nec in Tuscis nascitur ista iugis.
Testa sed antiqui felix siccatur Opimi:
Egerit & nigros Massica cella cados.
Acaupone tibi sæx Falerna petatur,
Si plus quam decies, Sextiliane, bibis.

Ad Procillum. 84

Hesterna tibi nocte dixeramus.

Quincunces, puto, post decem peractos,
Cœnares hodie ut Procille mecum.
Tu factam tibi rem statim putasti,
Et non sobria uerba subnotasti,
Exemplo nimium periculoso.
Μισῶ μνήμονα συμπότην Procille.

De Acerra. 85

Hesterno fœtere mero qui credit Acerram,
Fallitur: in lucem semper Acerra bibit.

Ad Fidentinum. 86

Fama refert nostros te, Fidentine, libellos
Non aliter populo quam recitare tuos.
Si mea uis dici gratis tibi carmina mittam.
Si dici tua uis, hæc eme ne mea sint.

De Diaulo medico. 87

Chirurgus fuerat, nunc est uespillo Diaulus,
Cœpit, quo poterat, Clinicus esse modo.

De Encolpo. 88

Hos tibi, Phœbe, uouet totos a uertice crines
Encolpus, domini Centurionis amor.
Grata Pudens meriti tulerit cùm præmia pili,
Quamprimum longas, Phœbe, recide comas,
Dum nulla teneri sordent lanugine uultus,
Dumq; decent fusæ lactea colla iubæ.
Vtq; tuis longùm dominusq; puerq; fruatur
Muneribus: tonsum sæc citò, sero uirum.

Ad Sabidium. 89

Non amo te, Sabidi: nec possum dicere, quare.
Hoc tantum possum dicere, Non amo te.

De Gellia. 90

Amissum non flet, cùm sola est Gellia, patrem:
Si quis adest, iussæ prosiliunt lacrymæ.
Non luget, quisquis laudari Gellia quærit.
Ille dolet uerè, qui sine teste dolet.

Ad Lesbiam. 91

Incuſloditis, & apertis, Lesbia, semper
Liminibus peccas: nec tua furta tegis.
Et plus spectator, quàm te delectat adulter:
Nec sunt grata tibi gaudia, siquà latent.
At meretrix abigit testem ueloq; seraq;:
Raraq; Summœni fornice rima patet.
A Chione saltem, uel Laide discе pudorem:
Abscondunt spurcas hæc monimenta lupas.
Numquid dura tibi nimium censura uidetur?
Deprendi uetо te, Lesbia, non futui.

Ad Cornelium. 92

Versus scribere me parum seueros,
Nec quos perlegat in schola magister,
Corneli quereris: sed hi libelli,
Tanquam coniugibus suis mariti,
Non possunt sine mentula placere.
Quid, si me iubeas Thalassionem
Verbis dicere non Thalassionis?
Quis Floralia uestit, & stolatum
Permittit meretricibus pudorem?
Lex hæc carminibus data est iocosis,
Ne possint, nisi pruriant, iuuare.
Quare, de posita seueritate,

Parcas lusibus, & iocis, rogamus:
Nec castrare uelis meos libellos.
Gallo turpius est nihil Priapo.

Ad Lucanum, & Tullum. 93

Si, Lucane, tibi, uel si tibi, Tulle, darentur
Qualia Ledæi fata Lacones habent,
Nobilis hæc esset pietatis rixa duobus,
Quòd pro fratre mori uellet uterq; prior.
Diceret, infernas si quis prior isset ad umbras,
Viue tuo frater tempore, uiue meo.

Ad Bassam. 94

Ventris onus misero (nec te pudet) excipis auro,
Bassa: bibis uitro: carius ergo cacas.

Ad Fidentinum. 95

Quem recitas, meus est, ô Fidentine, libellus.
Sed malè cùm recitas, incipit esse tuus.

Ad Decianum. 96

Si quis erit raros inter numerandus amicos,
Quales prisca fides, famaq; nouit duos:
Si quis Cecropiæ madidus, Latiæq; Minervæ
Artibus, & ueræ simplicitate bonus:
Si quis erit recti custos, imitator honesti,
Et nihil arcano qui roget ore deos:
Si quis erit magnæ subnixus robore mentis,
Disseream, si non hic Decianus erit.

Ad Liuidum. 97

Qui ducis uultus, & non legis ista libenter,
Omnibus inuideas, Liuide, nemo tibi.

In Cæcilium. 98

Vrbanus tibi,Cæcili,uideris.
Non es,crede mihi.quid ergo?uerna es.
Hoc quod Transtyberinus ambulator,
Qui pallentia sulphurata fractis
Permutat uitreis:quod otiosæ
Vendit qui madidum cicer coronæ:
Quod custos,dominusq; uiperarum:
Quod uiles pueri salariorum:
Quod sumantia qui tomacla raucus
Circumfert tepidis cocus popinis:
Quod non optimus Vrbicus poëta:
Quod de Cadibus improbus magister:
Quod bucca est uetuli loquax cinædi.
Quare desine iam tibi uideri,
Quod soli tibi,Cæcili,uideris:
Qui Galbam salibus tuis & ipsum
Posses uincere Sextium Caballum.
Non cuicunq; datum est habere nasum.
Ludit qui stolida procacitate,
Non est Sextius ille sed caballus.

De Portia. 99

Coniugis audisset fatum cùm Portia Bruti,
Et subtracta sibi quæreret arma dolor,
Nondum sciris,ait,mortem non posse negari?
Credideram,satis hoc uos docuisse patrem.
Dixit:& ardentes auido bibit ore fauillas.
I nunc,& ferrum turba molesta nega.

In Mancinum. 100

Bis tibi triceni fuimus,Mancine,uocati,
Et positum est nobis nil here,præter aprum.
Non quæ de tardis,seruantur uitibus uuæ,
Dulcibus aut certant quæ melimela fauis.
Non pyra,quæ lenta pendent religata genista,
Aut imitata breues punica mala rosas.
Rustica lactantes nec misit fiscina metas:
Nec de Picenis uenit oliua cadis.
Nudus aper,sed & hic minimus,qualisq; necari
A non armato pumilione potest.
Et nihil inde datum est:tantum spectauimus omnes.
Ponere aprum nobis,sic & auena solet.
Donatur tibi nullus aper post talia facta:
Sed tu donaris,cui Caridemus,apro.

Ad Stellam. 101

Lascivos leporum cursus,lususq; leonum,
Quòd maior nobis charta,minorq; gerit,
Et bis idem facimus,nimium si,Stella,uidetur
Hoc tibi,bis leporem tu quoq; pone mihi.

De libro suo. 102

Edita ne breuibus pereat mihi charta libellis,
Dicatur potius,τὸν δ' ἀπαμειβόμενον.

Ad Aedilum. 193

Cùm dicis,propero,fac,si facis,Aedile.languet
Protinus,& cessat debilitata Venus.
Expectare iube:uelocius ibo retentus.
Aedile si properas,dic mihi,ne properem.

De Diaulo medico. 104

Nuper erat medicus, nunc est uespillo Diaulus
Quod uespillo facit, fecerat & medicus.

De littoribus Altini. 105

Aemula Baianis Altini littora uillis,
Et Phaethontei conscia silua rogi.
Quæq; Antenoreo Dryadũ pulcherrima Fauno
Nupsit ad Euganeos sola puella lacus.
Et tu Ledæo felix Aquileia Timauo,
Hic ubi septenas Cyllarus hausit aquas.
Vos eritis nostræ portus, requiesq; senectæ,
Si iuris fuerint otia nostra sui.

Ad Posthumum. 106

Quòd te manè domi toto non uidimus anno,
Vis dicam, quantum, Posthume, perdiderim?
Tricenos puto bis, nouenos ter puto numos.
Ignoscis: togulam, Posthume, pluris emo.

Ad Augustum. 107

Sæpe meos laudare soles, Auguste, libellos,
Inuidus ecce negat: non minus ergo soles.
Quid, quòd honorato non sola uoce dedisti,
Non alius poterat quæ dare dona mihi.
Ecce iterum nigros contorsit liuidus ungues,
Da, Cæsar, tauro tu magis, ut dolcat.

Ad Chloën. 108

Donasti tenero, Chloë, Luperco,
Hispanas, Tyrias q; coccinasq;,
Indos, Sardonychas, Scythas Smaragdos,
Et lotam tepido togam Galeso,
Et centum dominos nouæ monetæ,
Et, quicquid petit, usq; & usq; donas.
Væ glabraria, mæ tibi misellæ:
Nudam te statuet tuus Lupercus.

Ad Pudentem. 109

Obstat, chare Pudens, nostris sua turba libellis,
Lectoremq; frequens lassat, & implet opus.
Rara iuuant, primis sic maior gratia pomis:
Hybernæ pretium sic meruere roscæ.
Sic spoliatricem commendat fastus amicam:
Ianua nec iuuenem semper aperta tenet.
Sæpius in libro memoratur Persius uno,
Quàm leuis in tota Marsus Amazonide.
Tu quoq; de nostris releges quencunq; libellis,
Esse puta solum: sic tibi pluris erit.

Ad Piscatorem. 110

Baiano procul à lacu monemus
Piscator fuge, ne nocens recedas.
Sacris piscibus, hæ notantur undæ,
Qui norunt dominum, manumq; lambunt
Illam, qua nihil est in orbe maius.
Quid, quòd nomen habent, & ad magistri
Vocem quisq; sui uenit citatus?
Hoc quondam Libys impius profundo,
Dum prædam calamo tremente ducit,
Raptis luminibus repentè cæcus
Captum non potuit uidere piscem:
Et nunc sacrilegos perosus hamos,
Baianos sedet ad lacus rogator.

At tu, dum potes, innocens recede,
Iactis simplicibus cibis in undas,
Et pisces uenerare dedicatos.

Ad Hippodamum. 111

Quòd cupis in nostris dici q; legiq; libellis,
Et non ullus honos creditur esse tibi,
Ne ualeam, si non res est gratissima nobis,
Et uolo te chartis inseruisse meis.
Sed tu nomen habes, auerso fonte sororum
Impositum, mater quod tibi dura dedit,
Quod neq; Melpomene, qd nec Polyhymnia possit
Nec pia cum Phœbo dicere Calliope.
Ergo aliquod gratum Musis tibi nomen adopta
Non semper bellè dicitur Hippodamus.

De ape electro inclusa. 112

Et latet, & lucet Phaëthontide condita gutta,
Vt uideatur apis nectare clausa suo.
Dignum tantorum pretium tulit illa laborum:
Credibile est ipsam sic uoluisse mori.

Ad Sosibianum. 113

Plena laboratis habeas cùm scrinia libris,
Emittis quare, Sosibiane, nihil?
Edent hæredes, inquis, mea carmina, quando?
Tempus erat iam te, Sosibiane, legi.

Ad Attalum. 114

Sordida cùm tibi sit, uerum tamen, Attale, dicit,
Quisquis te niueam dicit habere togam.

De pugna Damarum. 115

Frontibus aduersis molles concurrere damas

Vidimus, & fati sorte iacere pari.
Spectauere canes prædam: fluxitq; superbus
Venator, cuiuo nil superesse suo.
Vnde leues animi tanto calluere furore?
Sic pugnant tauri, sic cecidere uiri.

Ad Olum. 116

Cana est barba tibi, nigra est coma: tingere barbam
Non potes: hæc causa est, sed potes, Ole, comam.

Ad Afrum. 117

Centum Coranus, & ducenta Mancinus,
Trecenta debet Titius, hoc bis Albinus,
Decies Sabellus, alterumq; Seranus:
Ex insulis, fundisq; tricies soldum.
Ex pecore redeunt ter ducenta Parmensi.
Totis diebus Afer hoc mihi narras:
Et teneo melius ista, quàm meum nomen.
Numeres oportet aliquid, ut pati possim.
Quotidianam refice nauseam numis.
Audire gratis, Afer, ista non possum.

Ad Gallam. 118

Galla nega: satiatæ amor, nisi gaudia torquent.
Sed noli nimium, Galla, negare diu.

Ad Charinum. 119

Argenti genus omne comparasti,
Et solus ueteres Myronis artes,
Solus Praxitelis manus, Scopæq;
Solus Phidiaci toreuma cœli,
Solus Mentoreos habes labores.
Nec desint tibi uera Glaniana.

Nec

Nec quæ Callaico liuuntur auro,
Nec mensis anaglypta de paternis.
Argentum tamen inter omne miror
Quare non habeas Charine purum.

Ad Posthumum. 120

Atria Pisonum stabant cum stemmate toto,
Et docti Senecæ ter numeranda domus.
Prætulimus tantis solum te, Posthume, regnis,
Pauper eras, & eques: sed mihi Consul eras.
Tecum ter denas numerauí, Posthume, brumas:
Communis nobis lectus, & unus erat.
Iam donare potes, iam perdere, plenus honorum,
Largus opum: expecto, Posthume, quid facias.
Nil facis: & serum est, aliun mihi quærere regna.
Hoc fortuna placet? Posthumus imposuit.

In malè recitantem. 121

Quid recitaturus circundas uellera collo?
Conueniunt nostris auribus illa magis.

Ad Flaccum. 122

Si quis fortè mihi posset præstare roganti,
Audi, quem puerum, Flacce, locare uelim.
Niliacis primùm puer hic nascatur in oris:
Nequitiam tellus scit dare nulla magis.
Si niue candidior: nanq; in Maeotide fusca
Pulchrior est, quantò rarior iste color.
Lumina sideribus certent: mollesq; flagellent
Colla coma: tortas non amo, Flacce, comas.
Frons breuis, atq; modus breuiter sit naribus unci:
Pæstanis rubeant æmula labra rosis.

Sæpe & nolentem cogat, nolitq; uolentem:
Liberior domino sæpe sit ille suo.
Et timeat pueros, excludat sæpe puellas.
Vir reliquis, uni sit puer ille mihi.
Iam scio: nec fallis: nam me quoq; iudice uerum
Talis erat, dices, noster Amazonicus.

In Coracinum. 123

Non dixi, Coracine, te Cinædum:
Non sum tam temerarius, nec audax.
Nec mendacia qui loquar libenter.
Si dixi, Coracine, te Cinædum,
Iratam mihi Pontiæ lagœnam,
Iratum calicem mihi Metelli.
Iuro per Syrios tibi tumores,
Iuro per Berecyntios furores.
Quod dixi tamen, hoc leue, & pusillum est:
Quod notum est, quod & ipse non negabis:
Dixi te, Coracine, cunnilingum.

De Vesuio monte. 124

Hic est pampineis uiridis modò Vesuius umbris:
Presserat hic maddos nobilis uua lacus.
Hæc iuga, quã Nysæ colles, plus Bacchus amauit.
Hoc nuper Satyri monte dedere choros.
Hæc Veneris sedes, Lacedæmone gratior illi,
Hic locus Herculeo nomine clarus erat.
Cuncta iacent flammis, & tristi mersa fauilla:
Nec superi uellent hoc licuisse sibi.

Ad Phœbum. 125

Hæc tibi pro nato plena dat lætus acerra,

Phœbe

Phœbe, Palatinus munera Parthenius:
Vt qui prima nouo signat quinquennia lustro
Impleat innumeras Burrus Olympiadas.
Fac rata uota patris: sic te tua diligat uxor,
Gaudeat & certa uirginitate soror:
Perpetuo sic flore mices: sic deniq; non sint
Tam longa Bromio, quam tibi, Phœbe, comæ.

De Sabello. 126

Saturnalia diuitem Sabellum
Fecerunt meritò tumet Sabellus:
Nec quenquam putat esse, prædicatq;
Inter causidicos beatiorem.
Hos fastus, animosq; dat Sabello
Farris semodius, fabæq; fressæ,
Et turis, piperiq; tres selibræ,
Et Lucanica uentre cum Falisco,
Et nigri Syra defruti lagœna,
Et ficus Libycæ gelata testæ,
Cum bulbis, cochleisq;, caseoq;.
Piceno quoq; uênit à cliente,
Parcæ cistula non capax oliuæ,
Et crasso figuli polita cœno
Septennaria synthesis Sagunti,
Hispanæ lucum rotæ toreuma,
Et lato naviata mappa clauo.
Saturnalia fructuosiora
Annis non habuit decem Sabellus.

De Phaëthonte. 127

Encaustus Phaëthon tabula tibi pictus in hac

Quid tibi uis, Dipyron qui Phaëthonta facis?

In Papilum. 128

Præcidi gaudes: præcisus, Papile, ploras.
Cur quæ uis fieri, Papile, facta dole?
Pœnitet obscœnæ prurigine? an magis illud
Fles, quòd præcidi, Papile, desieris?

Ad Flaccum. 129

Nescis, crede mihi, quid sint epigrammata, Flacce,
Qui tantum lusus illa, iocosq; putas.
Ille magis ludit, qui scribit prandia sæui
Tereos, aut cœnam, crude Thyeste, tuam.
Aut puero liquidas aptantem Dædalon alas,
Pascentem siculas aut Polyphemon oues,
Anostris procul est omnis uesica libellis,
Musa nec insano syrmate nostra tumet.
Illa tamen laudant omnes, mirantur, adorant.
Confiteor: laudant illa, sed ista legunt.

Ad Thaidem. 130

Quid me, Thai, senem subinde dicis?
Nemo est, Thai, senex ad irrumandum.

In Cæcilianum. 131

Cùm tibi non essent sex millia, Cæciliane,
Ingenti latè uectus es hexaphoro.
Postquam bis decies tribuit Dea cæca, sinumq;:
Ruperunt numi, factus es, ecce, pedes.
Quid tibi pro meritis, & tantis laudibus optem?
Dij reddant sellam, Cæciliane, tibi.

In Aedilum. 132

Gestari iunctis nisi desinis, Aedile, capris.

Qui modò ficus eras, iam caprificus eris.

Ad Cosmum. 133

Hunc, quem sæpe uides inter penetralia nostræ
Pallados, & templi limina, Cosme, noui
Cum baculo, peraq́; senem, cui cana, putrisq́;
Stat coma, & in pectus sordida barba cadit,
Cerea quem nudi tegit uxor abolla grabati,
Cui dat latratos obuia turba cibos,
Esse putas Cynicum, deceptus imagine falsa.
Non est hic Cynicus, Cosme. quid ergo? canis.

Ad Colinum. 134

O, cui Tarpeias licuit contingere quercus,
Et meritas prima cingere fronde comas,
Si sapis utaris totis, Coline, diebus:
Extremumq́; tibi semper adesse putes.
Lanificas nulli tres exorare puellas
Contigit: obseruant, quem statuêre, diem.
Diuitior Crispo, Thrasea constantior ipso,
Lautior & nitido sis Meliore licet:
Nil adicit penso Lachesis, fusoq́; sororum:
Explicat, & semper de tribus una necat.

Ad Lucium. 135

Luci, gloria temporum tuorum,
Qui Gaurum ueterem, Tagumq́; nostrum
Arpis cedere non sinis disertis:
Argiuas generatus inter urbes
Thebas carmine cantet, aut Mycenas,
Aut claram Rhodon, aut libidinosæ
Ledæas Lacedæmonis palæstras,

Nos Celtis genitos, & ex Iberis.
Nostræ nomina duriora terræ
Grato non pudeat referre uersu:
Sæuo Bilbilin optimam metallo,
Quæ uincit Chalybasq́; Noricosq́;,
Et ferro Plateam suo sonantem,
Quam fluctu tenui, sed inquieto
Armorum Salo temperator ambit,
Tutelamq́; chorosq́; Risamorum,
Et conuiuia festa Carduarum,
Et textis Peteron rosis rubentem,
Atq; antiqua patrum theatra rigas,
Et certos iaculo leui Sueuos,
Turgentisq́; lacus, Petusiæq́;,
Et paruæ uada pura Touenissæ,
Et sanctum Duratonis ilicetum,
Per quod uel piger ambulat uiator,
Et quæ fortibus excolit iuuencis
Curuæ Manlius arua Matinessæ.
Hæc tam rustica, delibate lector,
Rides nomina? rideas, licebit.
Hæc tam rustica malo, quàm Britannos,

In Gargilianum. 136

Munera quòd senibus, uiduisq́; ingentia mittis,
Vis te munificum Gargiliane uocem?
Sordidius nihil est, nihil est te spurcius uno.
Quî potes insidias dona uocare tua?
Sic auidis fallax indulget piscibus hamus:
Callida sic stultas decipit esca feras.

Quid sit largiri, quid sit donare docebo,
Si nescis: dona, Gargiliane, mihi.

Ad Faustinum. 137

Dum nos blanda tenent lasciui stagna Lucrini
Et quæ pumiceis fontibus antra calent,
Tu colis Argiui regnum Faustine coloni,
Quò te bis decimus ducit ab urbe lapis.
Horrida sed feruent Nemeæi pectora monstri:
Nec satis est, Baias igne calere suo.
Ergo sacri fontes, & littora sacra ualete,
Nympharum pariter, Nereidumq; domus.
Herculeos colles gelida uos uincite bruma:
Nunc Tyburtinis cedite frigoribus.

In Gallam. 138

In tenebris luges amissum, Galla, maritum.
Num plorare pudet te puto, Galla, uirum?

De uipera electro inclusa. 139

Flentibus Heliadum ramis dum uipera serpit,
Fluxit in obstantem succina gemma feram:
Quæ dum miratur pinguis se rore teneri,
Concreto riguit uincta repentè gelu.
Ne tibi regali placeas, Cleopatra sepulcro,
Vipera si tumulo nobiliore iacet.

De Curatio. 140

Ardea solstitio, Pæstanaq; rura petantur,
Quiq; Cleonæo sidere seruet ager:
Cùm Tyburtinas damnet Curatius auras,
Inter laudatas ad Styga missus aquas.
Nullo fata loco possis excludere: cùm mors
Venerit, in medio Tybure Sardinia est.

In Mancinum. 141

Donasse amicum tibi ducenta, Mancine,
Nuper superbo lætus ore iactasti.
Quartus dies est, in schola poetarum
Cùm fabulamur, millibus decem dixti
Emptas lacernas munus esse Pompillæ:
Sardonycha uerum, lincisq; ter cinctum,
Duasq; similes fluctibus maris gemmas
Dedisse Bassam, Cœliamq; iurasti.
Here de theatro Pollione cantante,
Cùm subitò abires, dum fugis, loquebaris,
Hæreditatis tibi trecenta uenisse,
Et manè centum, & post meridiem centum.
Quid tibi sodales fecimus mali tantum?
Miserere iam crudelis, & sile tandem:
Aut si tacere lingua non potest ista,
Aliquando narra, quod Mancine uelimus.

De Lycori. 142

Tybur in Herculeum migrauit nigra Lycoris,
Omnia dum fieri candida credit ibi.

De Cærelia. 143

Dum petit à Baulis mater Cærelia Baias,
Occidit insani crimine mersa freti.
Gloria quanta perit nobis! hæc monstra Neroni
Nec quondam iussæ præstiteratis aquæ.

De hortis Martialis. 144

Tulli iugera pauca Martialis,
Hortis Hesperidum beatiora,

Longo Ianiculi iugo recumbunt.
Lati collibus eminent receſſus,
Et planus modico tumore uertex
Cœlo perſruitur ſereniore:
Et curuas nebula tegente ualles,
Solus luce nitet peculiari.
Puris leniter admouentur aſtris
Celſæ culmina delicata uillæ.
Hinc ſeptem dominos uidere montes
Et totam licet æſtimare Romam.
Albanos quoq; , Tuſculosq; colles,
Et quodcunq; iacet ſub urbe frigus,
Fidenas ueteres, breuesq; Rubras,
Et quod uirgineo cruore gaudet,
Annæ pomiferum nemus Perennæ.
Illic Flaminiæ, Salaricæq;
Geſtator patet eſſedo tacente,
Ne blando rota ſit moleſta ſomno,
Quem nec rumpere nauticum celeuſma,
Nec clamor ualet helciariorum:
Cum ſit tam propè Miluius ſacrumq;
Lapſæ per Tyberim uolent carinæ.
Hoc rus, ſeu potius domus uocanda eſt,
Commendat dominus, tuam putabis,
Tam non inuida, tamq; liberalis,
Tam comi patet hoſpitalitate.
Credas Alcinoi pios penates,
Aut factì modò diuitis Molorchi.
Vos nunc omnia parua qui putatis

Centeno gelidum ligone Tybur,
Vel Præneſte domate, pendulamq;
Vni dedite Satiam colono:
Dum, me iudice, præſeruantur iſtis
Tulli iugera pauca Martialis.

De Philæni. 145

Oculo Philænis ſemper altero plorat.
Quo fiat iſtud quæritis modo? luſca eſt.

Ad Linum. 146

Egiſti uitam ſemper, Line, municipalem:
Qua nihil omnino dulcius eſſe poteſt.
Idibus, & uaris togula eſt excuſſa Calendis:
Duxit ad æſtates ſymbeſis una decem.
Saltus aprum, campus leporem tibi miſit inemptũ:
Sylua grauis turdos exagitata dedit.
Raptus flumineo uenit de gurgite piſcis:
Vina rubens fudit non peregrina cadus.
Nec tener Argolica miſſus de gente miniſter,
Sed ſtetit inculti ruſtica turba ſoci.
Villica, uel duri compreſſa eſt nupta coloni,
Incaluit quoties ſaucia uena mero.
Nec nocuit tectis ignis, nec Sirius agris:
Nec merſa eſt pelago, nec fluit ulla ratis.
Suppoſita eſt blando nunquam tibi teſſera talo:
Alea ſed parcæ ſola fuere nuces.
Dic, ubi ſit decies, mater quod auara reliquit?
Nuſquam eſt: ſeciſti rem, Line, difficilem.

In Prætorem. 147

Prætorem pauper centum ſeſtertia Gaurus

Orabat, chara notus amicitia:
Dicebatq; suis hæc tantum deesse trecentis.
Vt posset domino plaudere iussus eques.
Prætor ait: Scis me Scorpo, Thalioq; daturum?
Atq; utinam centum millia sola darem.
Ah pudet ingratæ, pudet ah male diuitis aræ:
Quod non das equiti, uis dare, Prætor, equo?

Ad Sextum. 148

Inuitas centum quadrantibus, & bene cœnas.
Vt cœnem inuitor, Sexte, an ut inuideam?

De Spectaculo. 149

Picto quòd iuga delicata collo
Pardus sustinet, improbæq; tigres
Indulgent patientiam flagello:
Mordent aureа quòd lupata cerni:
Quòd fræno Libyci domantur ursi:
Et, quantum Calydon tulisse fertur,
Paret purpureis aper capistris:
Turpes esseda quòd trahunt bisontes:
Et molles dare iussa quòd choreas
Nigro bellua nil negat magistro:
Quis spectacula non putet deorum?
Hæc transit tamen, ut minora, quisquis
Venatus humiles uidet leonum,
Quos uelox leporum timor fatigat.
Dimittunt, repetunt, amantq; captos:
Et secuior est in ore præda,
Laxos cui dare, permiosq; rictus
Gaudent, & timidos tenere dentes.

Mollem frangere dum pudet rapinam.
Stratis cum modo uenerint iuuencis.
Hæc clementia non paratur arte:
Sed norunt cui seruant leones.

Ad Ouidium. 150

In Nomentanis Ouidi quod nascitur agris.
Accepit quoties tempora longa merum.
Exuit annosa mores, nomenq; senecta:
Et quicquid uoluit, testa uocatur anus.

Ad Rufum. 151

Intrò ponis aquam subinde, Ruse:
Et si cogeris a sodale, raram
Diluti bibis unciam Falerni.
Nunquid pollicita est tibi beatam
Noctem Nauia sobria, atq; mauis
Certæ nequitias fututionis?
Suspiras, retices, gemis, negauit.
Crebros ergo bibas licet trientes.
Et durum iugules mero pudorem.
Quid parcis tibi, Ruse? dormiendum est.

Ad Lucilium Iulium. 152

Sæpe mihi dicis, Luci carissime Iuli,
Scribe aliquid magnum: desidiosus homo es.
Otia da nobis: sed qualia fecerat olim
Mecœnas Flacco, Virgilioq; suo.
Condere uicturas tentem per secula curas?
Et nomen flammis eripuisse meum?
In steriles campos nolunt iuga ferre iuuenci:
Pingue solum lassat: sed iuuat ipse labor.

Ad Gallum. 153

Est tibi, sicq; precor, multos crescatq; per annos,
Pulchra quidem, sed rum Transtyberina domus.
At mea Vipsanas spectant cœnacula laurus:
Factus in hac ego sum iam regione senex.
Migrandum est, ut manè domi te, Galle, salutem.
Es tanti, uel si longius illa foret.
Sed tibi non multum est, unum si præsto togatus
Multum est, hunc unum si mihi, Galle, nego.
Ipse salutabo decima, uel serius, hora:
Manè tibi pro me dicat auere liber.

De catella Publii. 154

Issa est passere nequior Catulli.
Issa est purior osculo columbæ.
Issa est blandior omnibus puellis.
Issa est charior Indicis lapillis.
Issa est deliciæ catella Publi.
Hanc tu, si queritur, loqui putabis.
Sentit tristitiamq; gaudiumq;.
Collo nexa cubat, capitq; somnos,
Vt suspiria nulla sentiantur.
Et desiderio coacta uentris,
Cutta pallia non sesellit ulla:
Sed blando pede suscitat, toroq;
Deponi monet, & rogat leuari.
Castæ tantus inest pudor Catellæ:
Ignorat Venerem, nec inuenimus
Dignum tam tenera uirum puella.
Hanc ne lux rapiat suprema totam,

Pictam Publius exprimit tabella:
In qua tam similem uidebis Issam,
Vt sit tam similis sibi nec ipsa.
Issam denique pone cum tabella:
Aut utranq; putabis esse ueram,
Aut utranq; putabis esse pictam.

Ad Velocem. 155

Scribere me quereris, Velox, epigrammata longa.
Ipse nihil scribis, tu breuiora facis.

Ad Regulum. 156

Cùm tibi sit sophiæ par fama, & cura deorum,
Ingenio pietas nec minor ipsa tuo:
Ignorat meritis dare munera, qui tibi librum,
Et qui miratur Regule tura dari.

In Priscum. 157

Cùm te non nossem, dominum, regemq; uocabam.
Cùm bene te noui, iam mihi Priscus eris.

Ad Lectorem. 158

Quæcunq; lusi iuuenis, & puer quondam,
Aprosq; nostras, quas nec ipse iam noui,
Malè collocare si bonas uoles horas,
Et inuidebis otio tuo, lector:
AValeriano Pollio petes Quinto,
Per quem perire non licet meis nugis.

Ad Faustinum. 159

Hos tibi uicinos, Faustine, Telesphorus hortos
Fœnius, & breue rus, udaq; prata tenet.
Condidit hic natæ cineres, nomenq; sacrauit,
Quod legis, Antullæ, dignior ipse legi.

Et Stygias æquum fuerat partem isse sub umbras.
Sed quia non licuit, uiuit, ut ossa colat.

In Procillum. 160

Quædam me cupit inuide Procille
Toto candidior puella cygno,
Argento, niue, lilio, ligustro.
Sed quandam uolo nocte nigriorem,
Formica, pice, graculo, cicada.
Iam suspendia sæua cogitabas:
Si noui bene te, Procille, uiues.

De Antulla. 161

Hoc nemus æterno cinerum sacrauit honore
Fœnius, & culti iugera pauca soli.
Hoc tegitur citò rapta suis Antulla sepulcro:
Hoc erit Antullæ mistus uterq; parens.
Si cupit hunc aliquis, moneo, ne speret agellum.
Perpetuò dominis seruiat iste suis.

In Lupercum. 162

Occurris quoties, Luperce, nobis,
Vis mittam puerum subinde dicis,
Cui tradas epigrammaton libellum,
Lectum quem tibi protinus remittam?
Non est quòd puerum, Luperce, uexes.
Longum est, si uelit ad Pyrum uenire:
Et scalis habito tribus, sed altis.
Quod quæris, propius petas licebit.
Argi nempe soles subire letum.
Contra Cæsaris est forum taberna,
Scriptis postibus hinc, & inde totis,

Omnes

Omnes ut citò perlegas poëtas:
Illinc me pete: ne roges Atrectum:
Hoc nomen dominus gerit tabernæ.
De primo dabit, altero ue nido
Rasum pumice, purpuraq; cultum
Denarijs tibi quinque Martialem.
Tanti non es, ais, sapis, Luperce.

Ad Cæcilianum. 163

Cui legisse satis non est epigrammata centum,
Nil illi satis est, Cæciliane, mali.

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATON LIBER II.

QVID nobis, inquis, cum epistola? parum' ne tibi præstamus, si legimus epigrammata? Quid hic porrò dicturus es, quod non possis uersibus dicere? Video quare Tragœdi epistolam accipiant, quibus pro se loqui non licet. Epigrammata Curione non egent: & contenta sunt sua, id est, mala lingua. In quacunq; pagina uisum est, epistolam faciunt. Noli ergo (si tibi uidetur) rem facere ridiculam, & togam saltanti inducere personæ. Deniq; uideas, an te delectet cōtra retiarium ferula. Ego inter illos sedeo, qui protinus reclamant, Puto, me hercule, Deciane, uerum dicis. Quid, si scias, cum qua, & quàm longa epistola negotium

fueris

fueris habiturus? Itaque quod exigis, fiat. Debebunt tibi, si qui in hunc librum inciderint, quòd ad primam paginam non lapsi peruenient.

Ad librum suum. 1

Tercentena quidem poteras epigrammata ferre:
Sed quis te ferret, perlegeretq;, liber?
At nunc succincti quæ sunt bona disce libelli.
Hoc primũ est, breuior quòd mihi charta perit:
Deinde quòd hæc una peragit librarius hora:
Nec tantum nugis seruiet ille meis.
Tertia res hæc est, quòd si cui fortè legêris,
Sis licet usq; malus, non odiosus eris.
Te conuiua leget misto quincunce: sed antè
Incipiat positus quàm tepuisse calix.
Esse tibi tanta cautus breuitate uideris.
Hei mihi, quàm multis sic quoq; longus eris.

Ad Cæsarem Domitianum. 2

Creta dedit magnũ, maius dedit Africa nomen,
Scipio quod uictor, quodq; Metellus habet.
Nobilius domito tribuit Germania Rheno,
Et puer hoc dignus nomine, Cæsar, eras.
Frater Idumæos meruit cum patre triumphos.
Quæ datur ex Dacis laurea, tota tua est.

Ad Sextum. 3

Sexte, nihil debes: nil debes, Sexte, fatemur.
Debet enim, si quis soluere, Sexte, potest.

In Amianum. 4

O quàm blandus es, Amiane: matri!
Quàm blanda est tibi mater Amiane!

Fratrem

Fratrem te uocat, & soror uocatur.
Cur uos nomina nequiora tangunt?
Quare non iuuat hoc, quod estis, esse?
Lusum creditis hoc, iocumq;: non est
Mater, quæ cupit esse se sororem,
Nec matrem iuuat esse, nec sororem.

Ad Decianum. 5

Ne ualeam, si non totis Deciane diebus,
Et tecum totis noctibus esse uelim.
Sed duo sunt, quæ nos distinguunt, millia passûm.
Quattuor hæc fiunt, cùm rediturus eam.
Sæpe domi non es: cùm sis quoq; sæpe negaris:
Vel tantum causis, uel tibi sæpe uacas.
Te tamen ut uideam, duo millia non piget ire:
Vt te non uideam, quattuor ire piget.

Ad Seuerum. 6

I nunc, edere me iube libellos.
Lectis uix tibi paginis duabus,
Spectas ἐσχατοκολικὸν Seuere,
Et longas trahis oscitationes.
Hæc sunt, quæ relegente me solebas
Raptim scribere, sed Vitellianis.
Hæc sunt singula, quæ sinu ferebas
Per conuiuia cuncta, per theatra.
Hæc sunt, aut meliora, si qua nescis.
Quid prodest mihi tam macer libellus,
Nullo crassior ut sit umbilico,
Si totus tibi triduo legatur?
Nusquam deliciæ supiniores.

Lassus

Lassus tam citò deficis uiator,
Et cùm currere debeas Bouillas,
Interiungere quæris ad Camœnas.
I nunc, edere me iube libellos.

In Attalum. 7

Declamas bellè causas agis, Attale, bellè.
Historias bellas, carmina bella facis.
Componis bellè mimos, epigrammata bellè.
Bellus Grammaticus, bellus es astrologus.
Et bellè cantas, & saltas, Attale, bellè.
Bellus es arte lyræ, bellus es arte pilæ.
Nil bene cùm facias, facis attamen omnia bellè.
Vis dicam, quid sis? magnus es ardelio.

Ad Lectorem. 8

Siqua uidebuntur chartis tibi, lector in istis
Siue obscura nimis, siue Latina parum:
Non meus est error: nocuit librarius illis,
Dum properat uersus annumerare tibi.
Quòd si non illum, sed me peccasse putabis:
Tunc ego te credam cordis habere nihil.
Ista tamen mala sunt, quasi nos manifesta negemus.
Hæc mala sunt: sed tu non meliora facis.

De Næuia. 9

Scripsi: rescripsit nil Næuia: non dabit ergo?
Sed puto, quod scripsi, legerit: ergo dabit.

In Posthumum. 10

Basia dimidio quòd das mihi, Posthume, labro,
Laudo: licet demas hinc quoq; dimidium.
Vis dare maius adhuc, & inenarrabile munus?
Hoc

Hoc tibi habe totum, Posthume, dimidium.

Ad Rufum de Selio. 11

Quòd fronte Selium nubila uides, Rufe,
Quod ambulator porticum terit serus,
Lugubre quiddam quòd tacet piger uultus,
Quòd penè terram tangit indecens nasus,
Et dextra pectus pulsat, & comam uellit:
Non ille amici fata luget, aut fratris:
Vterq; natus uiuit, & precor uiuat:
Salua est & uxor, sarcinæq; seruiq;:
Nihil colonus, nullicusq; decoxit.
Mœroris igitur causa quæ est? domi cœnat.

In Posthumum. 12

Esse quid hoc dicam, quòd olent tua basia myrrhã,
Quodq;: tibi est nunquam non alienus odor?
Hoc mihi suspectũ est, ap oles bene, posthume semp,
Posthume non bene olet, qui bene semper olet.

Ad Sextum. 13

Et iudex petit, & petit patronus.
Soluas censeo Sexte creditori.

In Selium. 14

Nil intentatum Selius, nil linquit inausum,
Cœnandum quoties iam uidet esse domi.
Currit ad Europen: & te Pauline, tuosq;
Laudat Achilleos, sed sine fine pedes.
Si nihil Europe fecit, tum septa petuntur,
Si quid Phillyrides præstet, & Aesonides,
Hinc quoq; deceptus Memphitica tẽpla frequẽtat,
Assidet & cathedris mœsta iuuenca tuis.

Inde petit centum pendentia tecta columnis:
Illinc Pompeij dona, nemusq́; duplex.
Nec Fortunati spernit, nec balnea Fausti,
Nec Grylli tenebras, Aeoliamq́; Lupi.
Nam thermis iterum cunctis, iterumq́; lauatur,
Omnia cùm fecit, sed renuente Deo.
Totus ad Europes tepidæ buxeta recurrit:
Si quis ibi serum carpat amicus iter.
Per te, perq́; tuam, uector lasciue, puellam,
Ad cœnam Selium tu, rogo, taure uoca.

In Hermum. 15

Quòd nulli calicem tuum propinas,
Humanè facis, Herme, non superbè.

In Zoilum. 16

Zoilus ægrotat: faciunt hanc stragula febrem.
Si fuerit sanus, coccina quid facient?
Quid torus à Nilo, quid sindone tinctus alenti?
Ostendit stultas quid nisi morbus opes?
Quid tibi cũ medicis? dimitte Machaonas omneis:
Vis fieri sanus? stragula sume mea.

Ad Amianum. 17

Tonstrix Suburræ faucibus sedet primis,
Cruenta pendent qua flagella tortorum:
Argiq́; letum multus obsidet sutor.
Sed ista tonstrix Amiane non tondet.
Non tondet, inquam, ergo quid facit? radit.

In Maximum. 18

Capto tuam, pudet heu, sed capto, Maxime, cœnã.
Tu captas alias: iam sumus ergo pares.

Manè

Manè salutatum uenio: tu diceris isse
Antè salutatum. iam sumus ergo pares.
Sum comes ipse tuus, tumidiq́; anteambulo regis:
Tu comes alterius iam sumus ergo pares.
Esse sat est seruum: iam nolo uicarius esse.
Qui rex est, regem, Maximè, non habeat.

In Zoilum. 19

Felicem fieri credis me, Zoile, cœna.
Felicem, cœnam, Zoile, dando tuam?
Debet Aricino conuiua recumbere cliuo,
Quem tua felicem, Zoile, cœna facit.

De Paulo. 20

Carmina Paulus emit? recitat sua carmina Paulus.
Nam quod emas possis dicere iure tuum.

In Posthumum. 21

Basia das alijs: alijs das, Posthume, dextram.
Dicis, utrum mauis, elige? malo manum.

De eodem. 22

Quid mihi uobiscũ est, ô Phœbe, nouemq́; sorores?
Ecce nocet uati Musa iocosa suo.
Dimidio nobis dare Posthumus antè solebat
Basia, nunc labro cœpit utroq́; dare.

De eodem. 23

Non dicam, licet usq́; me rogetis,
Quis sit Posthumus in meo libello.
Non dicam, quid enim mihi necesse est,
Has offendere basiationes,
Quæ se tam bene uindicare possunt?

In Candidum. 24

Si det iniqua tibi triſtem fortuna reatum,
Squallidus hærebo, pallidiorq́; reo.
Si iubeat patria damnatum excedere terra,
Per ſæta, per ſcopulos exulis ibo comes.
Dat tibi diuitias. ecquid ſunt iſta duorum?
Das partem, multum eſt: Candide, das aliquid.
Mecum ergo miſer es. Quòd ſi Deus ore ſereno
Annuerit: felix, Candide, ſolus eris.

Ad Gallam. 25

Das nunquam: ſemper promittis, Galla, roganti.
Si ſemper fallis: iam rogo Galla, nega.

Ad Bithynicum. 26

Quòd querulum ſpirat, quòd acerbũ Nævia tuſſit,
Inq́; ſuos mittit ſputa ſubinde ſinus:
Iam te rem factam, Bithynice, credis habere?
Erras blanditur Nævia, non moritur.

De Selio. 27

Laudantem Selium, cœnæ cùm retia tendit,
Accipe ſiue legas, ſiue patronus agas.
Effœtè grauiter, citò, nequiter, euge, beatè.
Hoc uolui: facta eſt iam tibi cœna. tace.

In Sextilium. 28

Rideto multum, qui te, Sextille, cinædum
Dixerit: & digitum porrigito medium.
Sed nec pædico es, nec tu Sextille futuor,
Calda Veturſinæ nec tibi bucca placet.
Ex iſtis nihil es fateor, Sextille, quid ergo es?
Neſcio: ſed tu ſcis, res ſupereſſe duas.

Ad Rufum. 29

Ruſe uides illum ſubſellia prima tenentem,
Cuius & hinc lucet ſardonychata manus:
Quiſq́; Tyron toties epotauere lacernæ,
Et toga non tactas uincere iuſſa niues:
Cuius olet toto pinguis coma Marcelliano,
Et ſplendent uulſo brachia trita pilo.
Non extrema ſedet lunata ligula planta:
Coccina non læſum pingit aluta pedem.
Et numeroſa linunt ſtellantem ſplenia frontem.
Ignoras quid ſit? ſplenia tolle, leges.

In Caium. 30

Mutua uigimti ſeſtertia ſortè rogabam,
Quæ uel donanti non grauе munus erant.
Quippe rogabatur fidusq́; metusq́; ſodalis,
Et cuius laxas arca flagellat opes.
Is mihi: Dines eris ſi cauſſas egeris, inquit.
Quod peto, da Cai: non peto conſilium.

Ad Marianum. 31

Sæpe ego Chriſtinã ſutui. Det quam bene, quæris?
Supra quod fieri nil, Mariane, poteſt.

In Ponticum. 32

Lis mihi cum Balbo eſt: tu Balbũ offendere nõ uis,
Pontice. cũ Licino eſt: hic quoq; magn⁹ homo eſt.
Vexat ſæpe meum Patrobas confinis agellum.
Contra libertum Cæſaris ire times.
Abnegat, & retinet noſtrum Lavocnia ſeruum.
Reſpondes, orba eſt, dives, anus, uidua.
Non bene (crede mihi) ſeruo ſeruitur amico.

Sic liber, dominus qui uolet esse meus.

In Philænim. 33

Cur non basio te, Philæni? calua es
Cur non basio te, Philæni? rusca es.
Cur non basio te, Philæni? lusca es.
Te qui basiat, ô Philæni, fellat.

In Gallam. 34

Cùm placeat Phileros, tota tibi dote redemptus
Tres pateris natos, Galla, perire fame.
Præstatur cano tanta indulgentia cumo,
Quem nec casta potest iam decuisse Venus.
Perpetuam Dij te faciant Philerotis amicam,
O mater, qua nec Pontia deterior.

Ad Phœbum. 35

Cùm sint crura tibi, similent quæ cornua lunæ,
In rhytio poteras, Phœbe, lauare pedes.

In Pannicum. 36

Pectere te nolim, sed nec turbare capillos.
Splendida sit nolo, sordida nolo cutis.
Nec tibi mitrarum, nec sit tibi barba reorum.
Nolo uirum nimium Pannice, nolo parum.
Nunc tibi crura pilis, & sunt tibi pectora setis
Horrida: sed mens est, Pannice, nulla tibi.

In Cæcilianum. 37

Quicquid ponitur hinc, & inde, uerris:
Mammas suminis, imbricemq; porci,
Communemq; duobus attagenam,
Mullum dimidium, lupumq; totum,
Murenæq; latus, femurq; pulli,

Stillan-

Stillantemq; alica sua palumbum.
Hæc cùm condita sint madente mappa,
Traduntur puero domum ferenda.
Nos accumbimus otiosa turba.
Vllus si pudor est, repone cœnam.
Cras te Cæciliane non uocabo.

In Linum. 38

Quid mihi reddat agere, quæris, Line, Nomentanus,
Hoc mihi reddit ager: te, Line, non uideo.

De Muneribus Mœchæ. 39

Coccina famosæ donas, & ianthina mœchæ.
Vis dare, quæ meruit munera? mitte togam.

In Tongilium. 40

Vri Tongilius malè dicitur hæmitritæo.
Noui hominis mores: æsurit, atq; sitit.
Subdola tenduntur crassis modò retia turdis:
Hamus & in mullum mittitur, atq; lupum.
Cecuba siccentur, quæq; annus coxit Opimi,
Condantur parco fusca Falerna uitro.
Omnes Tongilium medici iussere lauari.
O stulti febrem creditis esse? gula est.

In Maximinam. 41

Ride, si sapis, ô puella, ride,
Pelignus puto, dixerat poëta:
Sed non dixerat omnibus puellis.
Quamuis dixerit omnibus puellis,
Non dixit tibi: tu puella non es.
Nam tres sunt tibi, Maximina, dentes,
Sed planè piceiq; buxeiq;.

Quare si speculo, mihiq; credis,
Debes non aliter timere risum,
Quam uentum Spanius, manumq; Priscus,
Quam cretata timet Fabulla nimbum,
Cerussata timet Sabella solem.
Vultus indue tu magis seueros,
Quam coniux Priami, nurusq; maior,
Mimos ridiculi Philistionis,
Et conuiuia nequiora uita,
Et quicquid lepida procacitate
Laxat perstricuo labella risu.
Te mœstæ decet aßidere matri,
Lugentiue uirum, piumq; fratrem,
Et tantum tragicis uacare Musis.
At tu, iudicium secuta nostrum,
Plora (si sapis) ô puella, plora.

In Zoilum. 42

Zoile, quid solium subluto podice perdis?
Spurcius ut fiat, Zoile, merge caput.

In Candidum. 43

Candide, τὰ ἐμὰ φίλων, hæc sunt tua, Cãdide, πάντα
Quæ tu magniloquus nocte, die q; sonas?
Te Lacedæmonio uelat toga lota Galeso,
Vel quam sepositio de grege Parma dedit:
At me, quæ passa est furiosi cornua tauri,
Noluerit dici quam pila prima suam.
Misit Agenoreas Cadmi tibi terra lacernas:
Non uendes numis coccina nostra tribus.
Tu Libycos Indis sustendis dentibus orbes:

Fulcitur

— Latos nibi sustinet orbes
Grande ebur.

Fulcitur testa sagina mensa mihi.
Immodici tibi flaua tegunt chrysendeta mulli:
Concolor in nostra cammare lance rubes.
Grex tuus Iliaco poterat certare cinædo:
At mihi succurrit, pro Ganymede, manus.
Ex opibus tantis ueteri, fidoq; sodali
Das nihil: & dicis, Candide, τὰ ἐμὰ φίλων.

In Sextum. 44

Emi seu puerum, togam'ue pexam,
Seu tres, uel puto, quattuor'ue libras:
Sextius protinus ille fœnerator,
Quem nostis ueterem meum sodalem,
Ne quid fortè petam, timet, cauetq;:
Et secum, sed ut audiam, susurrat,
Septem millia debeo Secundo,
Phœbo quattuor, undecim Phileto:
Et quadrans mihi nullus est in arca
O grande ingenium mei sodalis!
Durum est, Sexte, negare, cùm rogeris.
Quantò durius, antequam rogeris?

Ad Glyptum. 45

Quæ tibi non stabat, præcisa est mentula, Glypte.
Demens, cum ferro quid tibi? gallus eras.

In Næuolum. 46

Florida per uarios ut pingitur Hybla colores,
Cùm breue Sicaniæ ueris populantur apes:
Sic tua suppositis perlucent præsula lacernis,
Sic micat innumeris arcula simthesibus.
Atq; unam uestire tribum tua uellera possunt,

Appula

Appula non uno quæ grege terra tulit.
Tu spectas hyemem succincti lentus amici,
Prò scelus, & lateris frigora tuta times.
Quantum erat infelix, pannis fraudare duobus,
(Quid renuis?) non te, Nævole, sed tineas.

In Gallum. 47

Subdola famosæ (monco) fuge retia mœchæ,
Lænior ô conchis, Galle, Cytheriacis.
Confidis natibus? non est pædico maritus.
Quæ faciat, duo sunt: irrumat, aut futuit.

Ad Rufum. 48

Coponem, laniumq; balneumq;,
Tonsorem, tabulamq; calculosq;,
Et paucos, sed ut eligam, libellos,
Vnum non nimium rudem sodalem,
Et grandem puerum, diuq; læuem,
Et caram puero meo puellam.
Hæc præsta mihi, Rufe: uel Bitontis,
Et thermas tibi habe Neronianas.

De Thelesina. 49

Vxorem uolo Thelesinam ducere. quare?
Mœcha est. sed pueris dat Thelesina. uolo.

In Lesbiam. 50

Quòd fellas, & aquam potas: nil, Lesbia, peccas.
Quæ tibi parte opus est, Lesbia, sumis aquam.

In Hylum. 51

Vnus sæpe tibi tota denarius arca
Cùm sit, & hic culo tritior, Hyle, tuo:
Non tamen hunc pistor, nõ auferet hunc tibi copo-

Sed si quis nimio pene superbus erit.
Infelix uenter spectat conuiuia culi:
Et semper miser hic esurit, ille uorat.

De Spatale. 52

Nouit loturos Dasius numerare. popposcit
Mammosam Spatalem pro tribus: illa dedit.

In Maximum. 53

Vis fieri liber? mentiris, Maxime: non uis.
Sed fieri si uis, hac ratione potes.
Liber eris, cœnare foris si, Maxime, nolis:
Veientana tuam si domat una sitim.
Si ridere potes miseri chrysendeta Cinnæ:
Contentus nostra si potes esse toga.
Si plebeia Venus gemino tibi uincitur asse:
Si tua non rectus tecta subire potes.
Hæc tibi si uis est, si mentis tanta potestas,
Liberior Partho uiuere Rege potes.

In Linum. 54

Quid de te, Line susp icetur uxor,
Et qua parte uelit pudiciorem,
Certis indicijs satis probauit,
Custodem tibi quæ dedit spadonem.
Nil nasutius hac, malignius q; est.

Ad Sextum. 55

Vis te, Sexte, coli: uolebam amare.
Parendum est tibi: quod iubes, coleris.
Sed si te colo, Sexte: non amabo.

De Vxore Galli. 56

Gentibus in Libycis uxor tua, Galle, male audit

Immo

Immodicæ fœdo crimine auaritiæ.
Sed mera narrantur mendacia: non solet illa
Accipere omnino, quid solet ergo? dare.

In fictum diuitem. 57

Hic, quem uidetis gressibus uagis lentum,
Amethystinatus media qui secat septa,
Quem non lacernis Publius meis uincit,
Non ipse Codrus alpha penulatorum:
Quem grex rogatus sequitur, & capillatus,
Recensq; sella, linteisq; lorisq;:
Oppignerauit ad modo Claudij mensam,
Vix octo nummis anulum, unde cœnaret.

In Zoilum. 58

Pexatus pulchrè, rides mea, Zoile, trita,
Sunt hæc trita quidem, Zoile: sed mea sunt.

De Cœnatione Micæ. 59

Mica uocor, quid sim, cernis? cœnatio parua.
Ex me Cæsarem prospicis ecce tholum.
Frange toros, pete uina, rosas cape, tinge nardo:
Ipse iubet mortis te meminisse Deus.

In Hylum. 60

Vxorem armati sutuis, puer Hyle, Tribuni,
Supplicium tantum dum puerile times.
Væ tibi, dum ludis, castrabere. iam mihi dices,
Non licet hoc: quid, tu quod facis Hyle, licet?

In Maledicum. 61

Cùm tibi uernarent dubia lanugine malæ,
Lambebat medios improba lingua uiros,
Postquam triste caput fastidia uestillonum,

Et miseri meruit tædia carnificis,
Vteris oro aliter, nimiaq; erugine captus,
Adlatras nomen, quod tibi cunq; datum est.
Hæreat inguinibus potius tam noxia lingua.
Nam cùm fellaret, purior illa fuit.

In Labianum. 62

Quòd pectus, quòd crura tibi, quòd brachia uellis,
Quòd cincta est breuibus mentula tonsa pilis:
Hoc præstas, Labiene, tuæ (quis nescit?) amicæ.
Cui præstas, culum cùm Labiene pilas?

In Melichum. 63

Sola tibi fuerant sestertia, Meliche, centum,
Quæ tulit è sacra Leda redempta uia.
Meliche luxuria est, si tanti diues amares.
Non amo, iam dices: hæc magè luxuria est.

In Taurum. 64

Dum modò causidicũ, dum te modò rhetora fingis,
Et non decernis, Taure, quid esse uelis:
Peleos, & Priami transit, uel Nestoris ætas:
Et fuerat seruum iam tibi, desinere.
Incipe, tres uno pericrunt rhetores anno,
Si quid habes animi, si quid in arte uales.
Si schola damnatur, fora litibus omnia seruent,
Ipse potest fieri Marsia causidicus.
Eia age, rumpe moras: quò te expectabimus usq;?
Dum quid sis, dubitas, iam potes esse nihil.

In Saleranum. 65

Cur tristiorem cernimus Saleranum?
An causa leuis est? extulit, inquis, uxorem.

O gran

O grande fati crimen, ò grauem casum.
Illa, illa dines mortua est Secundilla,
Centena decies quæ tibi dedit dotis?
Nollem accidisset hoc tibi, Salerane,

In Lalagen. 66

Vnus de toto peccauerat orbe comarum
Anulus, incerta non bene fixus acu.
Hoc facimus Lalage speculo quod uiderat, ulta est:
Et cecidit sectis icta Plocusa comis.
Desine iam, Lalage, trisseis ornare capillos,
Tangat & insanum nulla puella caput.
Hoc salamandra notet, uel scena nouacula nudet:
Vt digna speculo fiat imago tuo.

In Posthumum. 67

Occurris quocunq; loco mihi, Posthume, clamas
Protinus: & prima est hæc tua uox, Quid agis?
Hoc, si me decies una conuenueris hora,
Dicis, habes puto tu, Posthume, nil quod agas.

Ad Olum. 68.

Quòd te nomine iam tuo soluto.
Quem regem, & dominum prius uocabam,
Ne me dixeris esse contumacem.
Totis pilea sarcinis redemi.
Reges, & dominos habere debet,
Qui se non habet, atq; concupiscit,
Quod reges, dominiq; concupiscunt.
Seruum si potes, Ole non habere,
Et regem potes, Ole, non habere.

In Classicum. 69

Inuitum cœnare foris te, Classice, dicis.
Si non mentiris, Classice, dispeream.
Ipse quoq; ad cœnam gaudebat Apicius ire.
Cum cœnaret, erat tristior ille, domi.
Si tamen inuitus uadis, cur, Classice, uadis?
Cogor, ais? uerum est. cogitur & Selius.
En rogat ad cœnam Melior te, Classice, rectam.
Grandia uerba ubi sunt? si uir es, ecce nega.

In Cotilum. 70

Non uis in solio prius lauari
Quenquam Cotile: causa quæ, nisi hæc, est?
Vndis ne foueare irrumatis.
Te primus licet abluas, necesse est,
Antè hic mentula, quàm caput, lauetur.

Ad Cæcilianum, 71

Candidius nihil est te, Cæciliane: notaui,
Si quando ex nostris districha pauca legis,
Protinus aut Marci recitas, aut scripta Catulli:
Hæc mihi das, tanquam deteriora legas,
Vt collata magis placeant mea credimus illud:
Malo tamen recites, Cæciliane, tua.

In Posthumum. 72

Hesterna factum narratur, Posthume, cœna,
Quod nollem: quis enim talia facta probet?
Os tibi perisem, quanto non ipse Latinus
Vilia Panniculi percutit ora sono.
Quodq; magis mirum est, autorem criminis huius
Cæcilium tota rumor in urbe sonat.

Esse negas factum. uis hoc me credere? credo,
Quid, quòd habet testes Posthume Cæcilius?

In Lyrim. 73

Quid faciat uis scire Lyris? quod sobria: fellat.

In Saufellum. 74

Cinctum togatis pòst, & antè Saufellum
Quanta reduci Regulus solet turba,
Ad alta tonsum templa cùm reum misit,
Materne cernis? inuidere nolito,
Comitatus iste sit, precor tuus nunquam.
Hos illi amicos, & greges togatorum
Fusciculenus præstat, & Fauentinus.

De Leone. 75

Verbera securi solitus Leo ferre magistri,
Insertamq; pati blandus in ora manum,
Dedidicit pacem. subitò feritate reuersa,
Quanta nec in Libycis debuit esse iugis.
Nam duo de tenera puerilia corpora turba,
Sanguineam rastris quæ renouabat humum,
Sæuus, & infelix furiali dente peremit.
Martia non uidit maius arena nefas.
Exclamare libet: Crudelis, perfide, prædo,
Nostra pueris parcere disce lupa.

De Mario. 76

Argenti libras Marius tibi quinq; reliquit.
Cui nihil ipse dabas, is tibi uerba dedit.

In Cosconium. 77

Cosconi, qui longa putas epigrammata nostra,
Vtilis ungendis axibus esse potes.

Hæc

Hæc tu credideris longum ratione Colossum,
Et puerum Bruti dixeris esse breuem.
Discе, quod ignoras, Marsi, docliq; Pedonis,
Sæpe duplex unum pagina tractat opus.
Non sunt longa, quibus nihil est, quod demere possis.
Sed tu, Cosconi, disticha longa facis.

Ad Cæcilianum. 78

Æstiuo serues ubi piscem tempore, quæris?
In thermis serua, Cæciliane tuis.

In Nasicam. 79

Inuitas tunc me, cùm scis, Nasica, uocatum.
Excusatum habeas me, rogo: cœno domi.

De Fannio. 80

Hostem cùm fugeret se Fannius ipse peremit.
Hic, rogo, num furor est, ne moriare, mori?

In Zoilum. 81

Laxior hexaphoris tua sit lectica licebit
Cùm tamen hæc tua sit, Zoile sandapila.

Ad Ponticum. 82

Abscissa seruum fugias quid Pontice lingua?
Nescis tu populum, quod tacet ille, loqui?

In sæuum maritum. 83

Fœdasti miserum, marite, mœchum:
Et se, qui fuerant prius, requirunt
Trunci naribus, auribusq; uultus.
Credis te satis esse uindicatum?
Erras, iste potest & irrumare.

In Sertorium. 84

Mollis erat, facilisq; uiris Pœantius heros:

Vulnera sic Paridis dicitur vlta Venus.
Cur lingat cunnum Siculus Sertorius, hoc est:
Ex hoc occisus, Rufe, videtur Eryx.

De Præposteris donis. 85

Vimine clausa levi nivea custodia coctæ,
Hoc tibi Saturni tempore munus erit.
Dona quòd æstatis misi tibi mense decembri
Si quereris, vasam tu mihi mitte togam.

Ad Classicum. 86

Quòd nec carmine glorior supino,
Nec retro lego Sotaden Cinædum,
Nusquam Græcula quòd recantat Echo,
Nec dictat mihi luculentus Aithis
Mollem debilitate Galliambon:
Non sum, Classice, tam malus poëta,
Quid si per graciles vias Petauri
Inultum iubeas subire Ladam?
Turpe est difficiles habere nugas:
Et stultus labor est ineptiarum.
Scribat carmina circulis Palæmon,
Me variis iuvat auribus placere.

In Phœbum. 87

Dicis, amore tui bellas ardere puellas,
Qui faciem sub aqua Phœbe natantis habes?

In Mamercum. 88

Nil recitas: & vis, Mamerce, poëta videri.
Quicquid vis esto, dummodo nil recites.

In Gaurum. 89

Quod nimio gaudes noctem producere vino,

Ignosco: vitium, Gaure, Catonis habes.
Carmina quòd scribis, Musis & Apolline nullo,
Laudari debes: hoc Ciceronis habes.
Quòd vomis, Antoni: quòd luxuriaris, Apici:
Quòd sellas, vitium dic mihi, cuius habes?

Ad Quintilianum. 90

Quintiliane, vagæ moderator summe iuventæ,
Gloria Romanæ, Quintiliane, togæ:
Vivere quòd propero pauper, nec inutilis armis,
Da veniam: properat vivere nemo satis.
Differat hoc, patrios optat qui vincere census,
Atriaq; immodicis arctat imaginibus.
Me focus, & nigros non indignantia fumos
Tecta iuvant, & fons vivus, & herba rudis,
Sit mihi verna satur, sit non doctissima coniux,
Sit nox cum somno, sit sine lite dies.

Ad Cæsarem Domitianum. 91

Rerum certa salus, terrarum gloria Cæsar,
Sospite quo magnos credimus esse deos:
Si festinatis toties tibi lecta libellis
Detinuere oculos carmina nostra tuos:
Quod fortuna negat fieri, permitte videri,
Natorum genitor credar ut esse trium.
Hæc si displicui, fuerint solatia nobis:
Hæc fuerint nobis præmia, si placui.

Ad Vxorem. 92

Natorum mihi ius trium roganti
Musarum pretium dedit mearum,
Solus qui poterat, malebis uxor:

Non debet domini perire munus.

Ad Regulum. 93

Primus ubi est, inquis, cùm sit liber iste secundus?
Quid faciam, si plus ille pudoris habet?
Tu tamen hunc fieri si mauis, Regule, primum,
Vnum de titulo tollere iota potes.

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATON LIBER III.

Ad Lectorem de Libro Gallicano. 1

Hoc tibi, quicquid id est, longinquis mittit ab oris
Gallia, Romanæ noïe dicta togæ,
Hunc legis, & laudas librum fortasse priorem.
Illa, uel hæc mea sunt, quæ meliora putas.
Plus sanè placeat, domina qui natus in urbe est.
Debet enim Gallum uincere uerna liber.

Ad Librum suum. 2

Cuius uis fieri libelle munus?
Festina tibi uindicem parare:
Ne nigram citò raptus in culinam
Cordillas madida tegas papyro,
Vel turis, piperisq; sis cucullus.
Faustini fugis in sinum? sapisti.
Cedo nunc licet ambules perunctus,
Et frontis gemino decens honore

Pictis luxurieris umbilicis,
Et te purpura delicata uelet,
Et cocco rubeat superbus index,
Illo uindice, nec probum timeto.

In mulierem deformem. 3

Formosam faciem nigro medicamine uelas:
Sed non formoso corpore lædis aquas.
Ipsam crede Deam uerbis tibi dicere nostris:
Aut aperi faciem, uel tunicata laua.

Ad Librum suum. 4

Romam uade liber: si, ueneris unde, requiret,
Aemiliæ dices de regione uiæ.
Si quibus in terris, quæ simus in urbe, rogabit:
Corneli referas me, licet, esse foro.
Cur absim, quæret breuiter: tu multa fatere,
Non poterat uanæ tædia ferre togæ.
Quando uenit, dicet: tu respondeto, Poëta
Exierat: ueniet, cùm citharœdus erit.

Ad Eundem. 5

Vis commendari, sine me cursurus in urbem,
Parue liber multis? an satis unus erit?
Vnus erit (mihi crede) satis, cui non eris hospes,
Iulius assiduum nomen in ore meo.
Protinus hunc adeas: primiq; in limine tecti,
Quos tenuit Daphnis, nunc tenet ille lares.
Est illi coniux, quæ te manibusq; sinuq;
Excipiet: uel si pulueruentus eas.
Hos tu seu pariter, siue hanc, illum'ue priorem
Videris: hoc dices, Marcus auere iubet.

Hoc satis est. alios commendat epistola. Peccat,
Qui commendandum se putat esse suis.

Ad Marcellinum. 6

Lux tibi post Idus numeratur tertia Maias
Marcelline, tuis bis celebranda sacris.
Imputat æthereos ortus hæc prima parenti:
Libat florentes hæc tibi prima genas.
Magna licet dederit iucundæ munera uitæ:
Plus nunquam patri præstitit illa dies.

De Sportula. 7

Centum miselli iam ualete quadrantes.
Antecambulonis congiarium lapsi,
Quos dividebat balneator elixus.
Quid cogitatis ô fames amicorum?
Regis superbi sportulæ recesserunt.
Nihil stropharum est: iam salarium dandum est.

In Quintum. 8

Thaida Quintus amat. quam Thaida? Thaida lu-
Vnum oculum Thais non habet, ille duos. (scam.

In Cinnam. 9

Versiculos in me narratur scribere Cinna.
Non scribit, cuius carmina nemo legit.

In Philomusum. 10

Constituit, Philomuse, pater tibi millia bina
Mensrua, perq; omnes præstitit illa dies:
Luxuriam premeret cùm crastina semper egestas,
Et uicijs essent danda diurna tuis:
Idem te moriens hæredem ex asse reliquit:
Exhæredauit te, Philomuse, pater.

Ad Quintum. 11

Si tua nec Thais, nec lusca est, Quinte, puella:
Cur in te factum distichon esse putas?
Sed simile est aliquid: pro Laide, Thaida dixi.
Dic mihi, quid simile est, Thais, & Hermione?
Tu tamen es Quintus: mutemus nomen amantis.
Si non uult Quintus Thaida, Sextus amet.

In Fabullum. 12

Vnguentum fateor bonum dedisti
Conuiuis here: sed nihil scidisti.
Res salsa est bene olere, & esurire.
Qui non cœnat, & ungitur, Fabulle,
Hic uerò mihi mortuus uidetur.

In Næuiam. 13

Dum nõ uis leporem, dum non uis carpere mullum,
Et plus quam patri, Næuia, parcis apro:
Accusas, rumpisq; coquum: tanquam omnia cruda
Attulerit. nunquam sic ego crudus ero.

De Tutio. 14

Romam petebat esuritor Tutius,
Profectus ex Hispania.
Occurrit illi sportularum fabula:
A ponte rediit Miluio.

De Codro. 15

Plus credit nemo, quam tota Codrus in urbe.
Cùm sit tam pauper, quomodo cæcus amat?

In Cerdonem. 16

Das gladiatores, sutorum regule cerdo:
Quodq; tibi tribuit subula, sica rapit.

Ebrius es: nec enim faceres id sobrius unquam,
Vt uelles corio ludere, cerdo, tuo.
Lusisti: satis est: sed te (mihi crede) memento
Nunc in pellicula cerdo tenere tua.

In Sabidium. 17

Circunlata diu mensis scribilita secundis
Vrebat nimio saeua colore manus.
Sed magis ardebat Sabidi gula: protinus ergo
Sufflauit buccis, terq; quaterq; suis.
Illa quidem tepuit, digitosq; admittere uisa est.
Sed nemo potuit tangere: merda fuit.

In Maximum. 18

Perfrixisse tuas quaesta est praefatio fauces.
Cum te excusaris, Maxime, quid recitas?

De Vipera in ore Vrsae. 19

Proxima centenis ostenditur Vrsa columnis,
Exornant pictae qua Platanona feae.
Huius dum pattulos alludens tentat hiatus
Pulcher Hylas, teneram mersit in ora manum.
Vipera sed caeco scelerata latebat in ore,
Vincbatq; anima deteriore fera.
Non sensit puer esse dolos, nisi dente recepto,
Dum perit, o facimus, ausa quod ursa fuit.

De Canio. 20

Dic Musa, quid agat Canius meus Rufus?
Vtrum'ne chartis tradit ille uictluris
Legenda temporum acta Claudianorum?
An quae Neroni falsus astruit scriptor?
An aemulatur improbi iocos Phaedri?

Lascius

Lascius elegis, an seuerus herois?
An in cothurnis horridus Sophocleis:
An otiosus in schola poetarum,
Lepore tinctos Attico sales narrat?
Hinc si recessit, porticum terit templi,
An spatia carpit lentus Argonautarum?
An delicatae sole ursus Europae
Inter tepentes post meridiem buxos
Sedet, ambulat'ue liber acribus curis?
Titi'ne thermis, an lauatur Agrippae,
An impudici balneo Tigillini?
An rure Tulli fruitur, atq; Lucani?
An Pollionis dulce currit ad Quartum?
An aestuantes iam profectus ad Baias
Piger Lucrino nauiclatur in stagno?
Vis scire, quid agat Canius tuus? ridet.

In Crudelem dominum. 21

Proscriptum famulus seruauit fronte notatus.
Non fuit haec domini uita, sed inuidia.

Ad Cassianum. 22

Sirenas hilarem nauigantium paenam,
Blandasq; mortes, gaudiumq; crudele,
Quas nemo quondam deserebat auditas,
Fallax Vlysses dicitur reliquisse.
Non miror illud, Cassiane, mirarer,
Si fabulantem Canium reliquisset.

Ad Diadumenum. 23

Quod spirat tenera malum mordente puella,
Quod de Corycio quae uenit aura croco,

Vinea quod primis floret cùm cana racemis,
Gramina quod redolent, quæ modo carpsit ouis:
Quod myrtus, quod messor Arabs, qđ succina trita.
Pallidus Eoo ture quod ignis olet:
Gleba quod æstiuo leniter cùm spargitur imbre,
Quod madidis nardo sparsa corona comis:
Hoc tua, sæue puer Diadumene, basia fragrant.
Quid, si tota dares illa, sine inuidia?

In M. Antonium. 24

Par scelus admisit Pharijs Antonius armis:
Abscidit ultus ensis utercq; sacros.
Illud, laurigeros ageres cùm læta triumphos:
Hoc tibi, Roma, caput, cùm loquereris, erat.
Antoni tamen est peior, quàm causa Photini:
Hic facinus domino præstitit, ille sibi.

De pigris nautis. 25

Cessatis pueri, nihilq; noctis,
Veterno, resinaq; pigriores:
Quorum per uada tarda nauigantes
Lentos figitis ad celeusma remos.
Iam prono Phaëthonte sudat Aethon,
Exarsitq; dies, & hora lassos
Interrumpit equos meridiana.
At uos tam placidas uagi per undas
Tutæ luditis otium carinæ.
Non nautas puto uos, sed argonautas.

Ad Matronas. 26

Huc est usq; tibi scriptus Matrona libellus.
Cui sint scripta rogas interiora? mihi.

Gymnasium, thermæ, stadium est hac parte, recede:
Exuimur: nudos parce uidere uiros.
Hic iam deposito post uina, rosasq; pudore
Quid dicat, nescit saucia Terpsichore.
Schemate nec dubio, sed aperte nominat illam,
Quam recipit sexto mense superba Venus.
Custodem medio statuit quam uillicus horto,
Opposita spectat quam proba uirgo manu.
Si bene te noui, longum iam lassa libellum
Ponebas: totum nunc studiosa legis.

Ad Gosconium. 27

Omnia quòd scribis castis epigrammata uerbis,
Inq; tuis nulla est mentula carminibus:
Admiror, laudo: nihil est te sanctius uno.
At mea luxuria pagina nulla uacat.
Hæc igitur iuuenes nequam, facilesq; puellæ:
Hæc senior, sed quem torquet amica, legat.
At tua, Gosconi, uenerandaq; sanctaq; uerba
A pueris debent, uirginibusq; legi.

Ad Ceruinum. 28

Mœchus es Ausidiæ, qui uir, Ceruine, fuisti.
Rivalis fuerat qui tuus, ille uir est.
Cur aliena placet tibi, quæ tua non placet uxor?
Numquid securus non potes arrigere?

In Næuolum. 29

Mentula cùm doleat puero, tibi Næuole culus:
Non sum diuinus, sed scio, quid facias.

Ad Lausellam. 30

Vis futui: nec uis mecum, Lausella, lauari.

Nescio quod magnum suspicor esse nefas.
Aut tibi pannosæ pendent a pectore mammæ:
Aut sulcos uteri prodere nuda times:
Aut infinito lacerum patet inguen hiatu:
Aut aliquid cunni prominet ore tui.
Sed nihil est horum: credo, pulcherrima nuda es.
Si uerum est, uitium peius habes: fatua es.

In Phœbum. 31

Dormis cum pueris mutoniatis:
Et non stat tibi, Phœbe, quod stat illis.
Quid uis me rogo, Phœbe, suspicari?
Mollem credere te uirum uolebam:
Sed rumor negat esse te cinædum.

In Gargilianum. 32

Psilothro faciemq; lauas, & dropace caluam.
Nunquid tonsorem, Gargiliane, times?
Quid faciem tingis? nam certè non potes illos
Resima, Veneto nec resecare luto.
Desine (si pudor est) miscram traducere caluam.
Hoc fieri cunno, Gargiliane, solet.

In Lupercum. 33

Stare, Luperce, tibi iampridem mentula desit.
Luctaris demens tu tamen arrigere.
Sed nihil erucæ faciunt, bulbiq; salaces.
Improba nec prosunt iam satyreia tibi.
Cœpisti puras opibus corrumpere buccas:
Sic quoq; non uiuit sollicitata Venus.
Mirari satis hoc quisquam, uel credere possit,
Quæ non stat, magno stare Luperce tibi?

In

In Bassum. 34

Arrigis ad uetulas: fastidis, Basse, puellas.
Nec formosa tibi, sed moritura placet.
Hic (rogo) nō furor est, nō est hæc mentula demens?
Cum possis Hecubam, nō potes Andromachen.

In Bæticum. 35

Nec mullus, nec te delectat, Bætice, turdus.
Nec lupus est unquam, nec tibi gratus aper.
Nec te liba iuuant, nec sectæ quadra placentæ.
Nec Libye mittit, nec tibi Phasis aues.
Capparim, & putri cæpas halecc natantes,
Et pulpam dubio de petasone uoras:
Teq; iuuant gerres, & pelle melandria cana,
Resinata bibis uina, falerna fugis.
Nescio quod stomachi uitium secretius esse
Suspicor: ut quid enim Bætice σαπροφάγες:

Ad Paulinum. 36

Minxisti currente semel, Paulme, carina.
Meiere uis iterum: iam Palinurus eris.

De Sertorio. 37

Rem peragit nullam Sertorius, inchoat omnes.
Hunc ego cùm futuit, non puto perficere.

In Apicium. 38

De nullo quereris: nulli maledicis, Apici:
Rumor ait linguæ te tamen esse malæ.

In Bæticum. 39

Quid cum fœmineo tibi, Bætice Galle, barathro?
Hæc debet medios lambere lingua uiros.
Abscissa est quare Samia tibi mentula testa.

Si

Si tibi tam gratus, Bætice, cunnus erat?
Castrādum caput est nam sis licet inguine Gallus:
Sacra tamen Cybeles decipis ore, uir es.

In Zoilum. 40

Conuiua quisquis Zoili potest esse,
Summœnianas cœnet inter uxores,
Curtaq; Ledæ sobrius bibat testa.
Hoc esse leuius, puriusq; contendo.
Iacet occupato galbanatus in lecto:
Cubitisq; trudit hinc, & inde conuinas,
Effultus ostro, sericisq; puluinis.
Stat exoletus suggeritq; ructanti
Pinnas rubentes, cuspidesq; lentisci:
Et æstuanti tenue uentilat frigus
Supina prasino concubina flabello:
Fugatq; muscas myrtea puer uirga:
Percurrit agili corpus arte tractatrix,
Manumq; doctam spargit omnibus membris:
Digiti crepantis signa nouit cunuchus,
Et delicatæ suscitator urnæ
Domini bibentis ebrium regit penem.
At ipse retroflexus ad pedum turbam,
Inter catellas anserum exta lambentes
Partitur apri glandulas palæstritis,
Et concubino turturum nates donat,
Ligurumq; nobis saxa cùm minis lrentur,
Vel cocta fumis musta Masilitanis,
Opimianum morionibus nectar
Crystallinisq;, myrrhinisq; propinat.

Et Cosmianis ipse fusus ampullis
Non erubescit murice aureo nobis
Diuidere mœchæ pauperis capillare.
Septunce multo deinde perditus sterti:
Nos accubamus, & silentium ronchis
Præstare iussi, nutibus propinamus.
Hos Malchionis patimur improbi fastus.
Nec uendicare Ruse possumus: fellat.

In Coclitem. 41

Vt faciam breuiora mones epigrammata, Cocles.
Fac mihi, quod Chione, non potui breuius.

In Tongilionem. 42

Quid narrat tua mœcha? non puellam
Dixi, Tongilion. quid ergo? linguam.

Ad Maritum. 43

Quis tibi persuasit, nares abscindere mœchæ?
Non hac peccatum est parte, marite, tibi.
Stulte, quid egisti? nihil hic tua perdidit uxor,
Cùm sit salua sui mentula Deiphobi.

Ad Castam matronam. 44

Ne legeres partem lasciui casta libelli,
Prædixi, & monui: tu tamen ecce legis.
Sed si Pamiculum, si spectas casta Latinum:
Non sunt hæc mimis improbiora: lege.

In Chionen. 45

Narrat te rumor, Chione, nunquam esse fututam,
Atq; nihil cunno purius esse tuo.
Tecta tamen non hac, qua debes, parte lauaris.
Si pudor est, transfer subligar in faciem.

In Fratres fęllatores. 46

Sunt gemini fratres, diuersa sed inguina lingunt.
Dicite, dißimiles sint magis, an similes?

Ad Phœbum. 47

Vtere lactucis, & mollibus utere maluis.
Nam faciem durùm, Phœbe, cacantis habes.

De Galla. 48

Vult, non uult dare Galla mihi: nec dicere possum,
Quod uult, & non uult, quid sibi Galla uelit.

De Misitio. 49

Cùm peteret patriæ Misitius arua Rauennæ,
Semiuiro Cybeles cum grege iunxit iter.
Huic comes hærebat domini fugitiuus Achillas,
Insignis forma, nequitiaq; puer.
Hoc steriles sensere uiri, qua parte cubaret,
Quærunt: sed tacitos sensit & ille dolos.
Mentitur, credunt, somni post uina petuntur.
Continuò serrum noxia turba rapit,
Exciduntq; senem, spondæ qui parte iacebat.
Nanq; puer pluteo uindice tutus erat.
Suppositam (fama est) quandam pro uirgine ceruã.
At nunc pro puero mentula supposita est.

Ad Gallum. 50

Vt patiar mœchum, rogat uxor, Galle: sed unum
Huic ego, non oculos eruo, Galle, duos?

In Vetustinam. 51

Cùm tibi trecenti consules Vetustina,
Et tres capilli, quattuor'ue sint dentes,
Pectus cicadæ, crusculumq; formicæ:

Rugosiorem cùm geras stola frontem,
Et arancarum caßibus pares mammas:
Cùm comparata rictibus tuis ora
Niliacus habeat crocodilus angusta:
Meliusq; ranæ garriant Rauennates,
Et Adriaticus dulcius culex cantet:
Videasq;, quantum noctuæ uident manè:
Et illud oleas, quod uiri capellarum:
Et anatis habeas uropygium macræ:
Senemq; cynicum uincat osseus cunnus:
Cùm te lucerna balneator extincta
Admittat inter bustuarias mœchas:
Cùm bruma mensem sit tibi per Augustum,
Regelare nec te pestilentia poßit:
Gaudes ducentas nuptum ire post mortes,
Virumq; demens cineribus tuis quæris
Prurire. Quid si sarrire uelit saxum?
Quis coniugem, quis te uocabit uxorem,
Philomelus auiam quam uocauerit nuper?
Quòd si cadauer exigis tuum scalpi,
Sternatur à Coride triclinio lectus,
Thalaßionem qui tuum dicet solus.
Vstorq; tedas præferat nouæ nuptæ.
Intrare in istum sola sax potest cunnum.

In Rufum. 52

Esse negas coctum leporem, poscisq; fragella.
Mauis, Rufe, coquum scindere, quam leporem.

In Næuolum. 53

Nunquam dicis aue, sed reddis, Næuole, semper,

Quod prior & Curius dicere sæpe solet.
Cur hoc expectas à me? rogo, Næuole dicas:
Nam, puto, nec melior. Næuole, nec prior es.
Præmia laudato tribuit mihi Cæsar uterq;,
Natorumq; dedit iura paterna trium.
Ore legor multo, notumq; per oppida nomen
Non expectato dat mihi fama rogo.
Est & in hoc aliquid: uidit me Roma Tribunum:
Et sedeo, quà te suscitat Oceanus.
Quot mihi Cæsareo facti sunt munere ciues,
Nec famulos totidem suspicor esse tibi.
Sed pædicaris: sed pulchrè, Næuole, ceues.
Iam iam sic prior es, Næuole uincis: aue.

In Gargilium. 54

Lingis, non futuis meam puellam:
Et garris, quasi mœchus, & sututor.
Si te prendero, Gargili, tacebis.

Ad Rufum. 55

Ne legat hunc Chione, mando tibi, Ruse, libellum.
Carmine læsa meo est: lædere & ipsa potest.

In Sabellum. 56

Sit culus tibi quam macer, requiris?
Pædicare potes, Sabelle, culo.

Ad Cerdonem. 57

Trasci nostro non debes, cerdo, libello.
Ars tua non nita est carmine læsa meo.
Innocuos permitte sales. cur ludere nobis
Non liceat, licuit si iugulare tibi?

Ad Rufum. 58

Cursorem sexta tibi, Ruse, remisimus hora:
Carmina quem madidum nostra tulisse reor.
Imbribus immodicis cœlum nam forte ruebat.
Non aliter mitti debuit isti liber.

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATON LIBER IIII.

De natali Domitiani. 1



AESARIS alma dies, & luce sacratior illa,
Conscia Dictæum qua tulit Ida Iouem.
Longa, precor, Pylioq; ueni numerosior æuo:
Semper & hoc uultu, uel meliore nite.
Hic colat Albano Tritonida cultus in auro:
Perq; manus tantas plurima quercus eat.
Hic colat ingenti reduntia sæcula lustro,
Et quæ Romuleus sacra Terentus habet.
Magna quidem superi petimus, sed debita terris.
Pro tanto quæ sunt improba uota Deo?

De Horatio. 2

Spectabat modo solus inter omneis
Nigris munus Horatius lacernis,
Cum plebs, & minor ordo, maximusq;
Sancto cum duce candidus sederet.
Toto nix cecidit repentè cælo:

Albis spectat Horatius lacernis.

De Niuibus. 3

Aspice quàm densum tacitarum uellus aquarum
Defluat in uultus Cæsaris, inq; sinus.
Indulget tamen ille Ioui, nec uertice moto
Concretas pigro frigore ridet aquas,
Sidus Hyperborei solitus lassare Bootæ,
Et madidis Helicem dissimulare comis.
Qui siccis lasciuit aquis, & ab æthere ludit.
Suspicor has pueri Cæsaris esse niues.

In Bassam. 4

Quod siccæ redolet palus lacunæ,
Crudarum nebulæ quod albularum,
Piscinæ uetus aura quod marinæ
Quod pressa piger hircus in capella,
Lassi Bardiaci os quod euocati,
Quod bis murice uellus inquinatum,
Quod ieiunia Sabbatariorum,
Mœstorum quod anhelitus reorum,
Quod spurcæ moriens lucerna Ledæ,
Quod ceromata fæce de Sabina,
Quod uulpis fuga, uiperæ cubile.
Malles, quàm quod oles, olere Bassa.

Ad Fabianum. 5

Vir bonus, & pauper, linguaq;, & pectore uerus,
Quid tibi uis, urbem qui Fabiane petis?
Qui nec leno potes, nec comessator haberi,
Nec pauidos tristi uoce citare reos.
Nec potes uxorem chari corrumpere amici:

Nec

Nec potes algentes arrigere ad uetulas.
Vendere nec uanos circum pallatia fumos,
Plaudere nec Cano, plaudere nec Glaphyro.
Vnde miser uiues? Homo fidus, certus amicus.
Hoc nihil est: nunquam sic Philomelus eris.

In Macillianum. 6

Credi uirgine castior pudica,
Et frontis teneræ cupis uideri:
Cùm sis improbior Macilliane,
Quàm qui compositos metro Tibulli
In Stellæ recitat domo libellos.

Ad Hylum. 7

Cur herè quod dederas, hodie puer Hyle negasti,
Durus tam subito, qui modo mitis eras?
Sed iam causaris barbamq;, annosq;, pilosq;.
O nox quàm longa es, quæ facis una senem!
Quid nos derides? herè qui puer Hyle fuisti,
Dic nobis, hodie qua ratione uir es?

Ad Euphemum. 8

Prima salutantes, atq; altera continet hora.
Exercet raucos tertia causidicos.
In quintam uarios extendit Roma labores.
Sexta quies lassis, septima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octaua palæstris.
Imperat extructos frangere nona toros.
Hora libellorum decima est Eupheme meorum,
Temperat ambrosias cùm tua cura dapes,
Et bonus æthereo laxatur nectare Cæsar,
Ingentiq; tenet pocula parca manu.

Tunc admitte iocos: gressu timet ire licenti
Ad matutinum nostra Thalia Iouem.

In Labullam. 9

Iotæ filia Clinici Labulla,
Deserto sequeris Clitum marito,
Et donas, & amas, ἓξ εἰς ἀσώτως.

Ad Faustinum. 10

Dum nouus est, nec adhuc rasa mihi fronte libellus
Pagina dum tangi non bene sicca timet:
I puer, & charo perfer leue munus amico,
Qui meruit nugas primus habere meas.
Curre, sed instructus: comitetur Punica librum
Spongia: muneribus conuenit illa meis.
Non possunt nostros multæ Faustine lituræ
Emendare iocos: una litura potest.

In Antonium Saturninum. 11

Dum nimium uano tumefactus nomine gaudes,
Et Saturninum te miser esse pudet:
Impia Parrhasia, mouisti bella sub ursa,
Qualia qui Phariæ coniugis arma tulit.
Excideratne adeò fatum tibi nominis huius,
Obruit Actiaci quod grauis ira freti?
An tibi promisit Rhenus, quod non dedit illi
Nilus, & Arctois plus licuisset aquis?
Ille etiam nostris Antonius occidit armis,
Qui tibi collatus, perfide, Cæsar erat.

In Thaidem. 12

Nulli Thai negas, sed si te non pudet istud:
Hoc saltem pudeat Thai, negare nihil.

De Nuptijs Pudentis, & Claudiæ. 13

Claudia Rufe meo nupsit peregrina Pudenti:
Mactè esto tedis, ô Hymenæe, tuis.
Tam bene rara suo miscentur cinnama nardo:
Maßica Theseis tam bene uina fauis.
Nec melius teneris iunguntur uitibus ulmi:
Nec plus lotos aquas, littora myrtus amat.
Candida perpetuo reside Concordia lecto:
Tamq; pari semper sis Venus æqua iugo.
Diligat ipsa senem quondam: sed & ipsa marito,
Tunc quoq; cùm fuerit, non uideatur anus.

Ad Silium. 14

Sili Cæstalidum decus sororum,
Qui periuria barbari furoris
Ingenti premis ore, perfidosq;
Fabius Annibalis, leuesq; Pœnos
Magnis cedere cogis Africanis:
Paulum deposita seueritate,
Dum blanda uagus alea December
Incertis sonat hinc, & hinc fritillis,
Et ludit rota nequiore talo,
Nostris otia commoda Camœnis:
Nec torua lege fronte sed remissa
Lasciuis madidos iocis libellos.
Sic forsan tener ausus est Catullus
Magna mittere passerem Maroni.

Ad Cæcilianum. 15

Mille tibi numos hesterna nocte roganti,
In sex, aut septem, Cæciliane, dies,

Non habeo, dixi. sed tu causatus amici
Aduentum, lancem, paucaq; uasa rogas.
Stultus es, an stultum me credis amice? negaui
Mille tibi numos: millia quinq; dabo?

In Gallum. 16

Priuignum non esse tuæ te, Galle, nouercæ,
Rumor erat, coniux dum fuit illa patris.
Non tamen hoc poterat uiuo genitore probari.
Iam nusquam pater est, Galle: nouerca domi est.
Magnus ab infernis reuocetur Tullius umbris,
Et te defendat Regulus ipse licet:
Non potes absolui. nam quæ non desinit esse,
Post patrem, nunquam, Galle, nouerca fuit.

Ad Paulum. 17

Facere in Lyciscam, Paule, me iubes uersus,
Quibus illa lectis rubeat, & sit irata.
O Paule, malus es: irrumare uis solus.

De puero glacie occiso. 18

Qua uicina pluit Vipsanis porta columnis,
Et madet assiduo lubricus imbre lapis,
In iugulum pueri, qui roscida templa subibat,
Decidit hyberno prægrauis unda gelu.
Cumq; peregisset miseri crudelia fata,
Tabuit in calido uulnere mucro tener.
Quid non sæua sibi uoluit fortuna licere?
Aut ubi mors non est, si iugulatis, aquæ?

De Endromide. 19

Hanc tibi Sequanicæ pinguem textricis alumnam,
Quæ Lacedæmonium barbara nomen habet.

Sordida

Sordida, sed gelido non aspernanda Decembri,
Dona peregrinam mittimus Andromida:
Seu lentum ceroma teris, tepidumue trigona,
Siue harpasta manu puluerulenta rapis,
Plumea seu laxi partiris pondera follis,
Siue leuem cursu uincere quæris Atham.
Ne madidos intret penetrabile frigus in artus:
Neue grauis subita te premat Iris aqua.
Ridebis uentos hoc munere tectus & imbres.
Nec sic in Tyria sindone tutus eris.

De Cærelia & Gellia. 20

Dicit se uetulam, cùm sit Cærelia puppa.
Puppam se dicit Gellia, cùm sit anus.
Ferre nec hanc possis, possis, Colme, nec illam.
Altera ridicula est, altera putidula.

De Selio. 21

Nullos esse Deos, inane cœlum,
Affirmat Selius, probatq;, quòd se
Factum, dum negat hoc, uidet beatum.

De Cleopatra. 22

Primos passe toros, & adhuc placanda marito,
Merserat in nitidos se Cleopatra lacus,
Dum fugit amplexus: sed prodidit unda latentem:
Lucebat, totis cùm tegeretur aquis.
Condita sic puro numerantur lilia uitro:
Sic prohibet tenues gemma latere rosas.
Insilui, mersusq; uadis luctantia carpsi
Basia: perspicuæ plus uetuistis aquæ.

Ad Thaliam. 23

Dum tu lenta nimis, diuq; quæris,
Quis primus tibi, quisue sit secundus,
Gratum quisue epigramma comparabit,
Palmam Callimachus, Thalia, de se
Facundo dedit ipse Brutiano,
Qui si Cecropio fatur lepore
Romanæ sale luserit Minervæ,
Illi me facias, precor, secundum.

Ad Fabianum. 24

Omneis, quas habuit, Fabiane, Lycoris amicas
Extulit: uxori fiat amica meæ.

Ad Pamphilum. 25

Tu Setina quidem semper, uel Massica ponis,
Pamphile: sed rumor tam bona uina negat.
Diceris hac factus cœlebs quater esse lagœna.
Nec puto, nec credo, Pamphile, nec sitio.

De Amiano, ad Maronillum. 26

Nihil Amiano, præter aridam uestem,
Moriens reliquit ultimis pater ceris,
Fieri putet potuisse quis, Maronille,
Vt Amianus mortuum patrem nolit?

Ad Sophronium. 27

Quero diu totam, Sophroni Rufe, per urbem
Siqua puella neget: nulla puella negat.
Tanquam fas non sit, tanquam sit turpe negare,
Tanquam non liceat, nulla puella negat.
Casta igitur nulla est? castæ sunt mille. quid ergo
Casta facit? non dat: non tamen illa negat.

Ad

Ad Quintum. 28

Exigis, ut donem nostros tibi, Quinte, libellos.
Non habeo, sed habet bibliopola Triphon.
Aes dabo pro nugis, & emam tua carmina sanus?
Non, inquis, faciam tam fatuè. nec ego.

De Vestino. 29

Cùm grauis extremas Vestinus duceret horas,
Et iam per Stygias esset iturus aquas,
Vltima uoluentes orauit pensa sorores,
Vt traherent parua stamina pulla mora.
Iam sibi desumctus, charis dum uiuit amicis,
Mouerunt tetricas tam pia uota deas.
Tum largas partitus opes, à luce recessit:
Seq; mori post hoc credidit ille senem.

De Damis. 30

Aspicis, imbelles tenent quàm sortia damæ
Prælia, tam timidis quanta sit ira feris?
In mortem paruis concurrere frontibus audent.
Vis, Cæsar, Damis parcere? mitte canes.

De Nigrina. 31

O felix animo, felix Nigrina marito,
Atq; inter Latias gloria prima nurus:
Te patrios miscere iuuat cum coniuge census,
Gaudentem socio, participemq; uiro.
Arserit Euadne flammis iniecta mariti,
Nec minus Alcestim fama sub astra ferat:
Tu melius certè meruisti pignore uitæ,
Vt tibi non esset morte probandus amor.

m

In Auarum amicum. 32

Millia miſiſti mihi ſex, bis ſena petenti.
Vt bis ſena feram bis duodena petam.

In Zoilum inuidum. 33

Nunquam diuitias deos rogaui,
Contentus modicis, meoq; lætus.
Paupertas ueniam dabis: recede.
Cauſa eſt quæ ſubiti, nouiq; uoti?
Pendentem uolo Zoilum uidere.

In Afrum. 34

Condita cùm tibi ſit iam ſexageſima meſſis,
Et facies multo ſplendeat alba pilo,
Diſcurrus tota uagus urbe, nec illa cathedra eſt,
Cui non manè feras irrequietus, aue.
Et ſine te nulli fas eſt prodire Tribuno:
Nec caret officio Conſul uterq; tuo.
Et ſacro decies repetis pallatia cluo,
Sigerioſq; modos, Partheniosq; ſonas.
Hæc faciant ſanè iuuenes, deformius Aſer
Omnino nihil eſt ardelione ſene.

Ad Mathonem. 35

Hoſpes eras noſtri ſemper, Matho, Tyburtini
Hoc emis: impoſuit rus tibi uendo tuum.

In Eundem. 36

Declamas in febre Matho. Hanc eſſe phreneſim
Si neſcis, non es ſanus, amice Matho.
Declamas æger, declamas hemitritæos.
Si ſudare aliter non potes, eſt ratio.
Magna tamen res eſt: erras cùm uiſcera febris
Exurit

Exurit, res eſt magna tacere, Mathon.

De Fabulla. 37

Epigramma noſtrum cùm Fabulla legiſſet,
Negare nullam quo quiror puellarum:
Semel rogata bisq; terq; neglexit
Preces amantis. Iam Fabulla promitte.
Negare iuſſi, pernegare non iuſſi.

Ad Rufum. 38

Hos quoq; commenda Venuleio, Ruſe, libellos.
Imputet & nobis otia parua, roga.
Immemor & paulum curarum, operumq; ſuorum,
Non tetrica nugas exigat aure meas.
Sed nec poſt primũ legat hæc, ſummumue trientẽ,
Sed ſua cùm medius prælia Bacchus amat.
Si nimis eſt, legiſſe duos: tibi charta plicetur
Altera: diuiſum ſic breue fiet opus.

In Næuolum. 39

Securo nihil eſt te, Næuole, peius: eodem
Sollicito nihil eſt, Næuole, te melius.
Securus nullum reſalutas, deſpicis omnes:
Nec quiſquam liber, nec tibi gratus homo eſt.
Sollicitus donas: dominum, regemq; ſalutas:
Inuitas. eſto, Næuole, ſollicitus.

In Thaidem. 40

Non eſt in populo, nec urbe tota,
Niſi Thaida qui probet fututam,
Cum multi cupiant, rogentq; multi.
Tam caſta eſt, rogo, Thais? immò fellat.

In

In Ponticum. 41

Nos bibimus uitro, tu myrrha Pontice, quare?
Prodat perspicuus ne duo uina calix.

Ad Librum suum. 42

Si uis auribus Atticis probari,
Exhortor, moneoq; te, libelle,
Vt docto placeas Apollinari.
Nil exactius, eruditiusq; est,
Sed nec candidius, beniguisq;.
Si te pectore, si tenebit ore,
Nec ronchos metues maligniorum,
Nec scombris tunicas dabis molestas.
Si damnauerit, ad salariorum
Curras scrinia protinus licebit,
Inuersa pueris arande charta.

De Bassa. 43

Infantem secum semper tua Bassa, Fabulle,
Collocat, & lusus, deliciasq; uocat.
Et, quod mireris magis, infantaria non est.
Ergo quid in causa est? pedere Bassa solet.

In Dissimulatorem. 44

Nulla remisisti paruo pro munere dona,
Et iam Saturni quinq; fuere dies.
Ergo nec argenti sex scrupula Septitiane
Missa, nec à querulo mappa cliente fuit?
Antipolitani nec quæ de sanguine thynni
Testa rubet, nec quæ coclana parua gerit?
Nec rugosarum uimen breue Picenarum:
Dicere te posses ut meminisse mei?

Decipies alios uerbis, uultuq; benigno,
Nam mihi iam notus dissimulator eris.

De Rusticatione. 45

Ruæ morans quid agam, respondeo pauca, rogatus.
Luce deos oro: famulos post aruа reuiso.
Partibus atq; meis iustos indico labores.
Inde lego, Phœbumq; cio, Musamq; lacesso.
Hinc oleo corpusq; frico, molliq; palæstra
Stringo libens, animo gaudens, ac sœnore liber.
Pondero, poto, cano, ludo, lauo, cœno, quiesco.
Dum paruus lychnus modicum consumit oliui,
Hæc dat nocturnis nox lucubrata Camœnis.

Ad Librum. 46

Ohe iam satis est, ohe libelle:
Iam peruenimus usq; ad umbilicos.
Tu procedere adhuc, & ire quæris,
Nec summa potes in scheda teneri:
Sic, tanquam tibi res peracta non sit.
Quæ prima quoq; pagina peracta est.
Iam lector queriturq;, deficitq;:
Iam librarius hoc & ipse dicit.
Ohe iam satis est, ohe libelle.

M. VAL. MARTIALIS
EPIGRAMMATON
LIBER V.

Ad Cæsarem. 1



O c tibi (Palladiæ seu collibus uteris Albæ
Cæsar, & hinc Triniam prospicis inde Thetin:
Seu tua ueridicæ discunt responsa sorores,
Plana suburbani quà cubat unda freti:
Seu placet Aeneæ nutrix, seu filia solis,
Siue salutiferis candidus Anxur aquis)
Mittimus, ô rerum felix tutela salusq;:
Sospite quo gratum credimus esse Iouem,
Tu tantum accipies: ego te legisse putabo,
Et tumidus Galla credulitate fruar.

Ad Lectores. 2

Matronæ, pueriq; uirgines q;,
Vobis pagina nostra dedicatur,
Tu, quem nequitiæ procaciores
Delectant nimium, salesq; nudi,
Lasciuos lege quattuor libellos.
Quintus cum Domino liber iocetur,
Quem Germanicus ore non rubenti
Coram Cecropia legat puella.

Ad Domitianum. 3

Accola iam nostræ Degis Germanice, ripæ,
A famulis

A famulis Istri qui tibi uenit aquis,
Latus, & attonitus uiso modò præside mundi,
Affatus comites dicitur esse suos:
Sors mea, quàm fratris, melior, cui tam propè fas est
Cernere, tam longè quem colit ille Deum.

In Myrtalen. 4

Fœtere multo Myrtale solet uino,
Sed fallat ut nos, folia deuorat lauri,
Merumq; cauta fronde, non aqua, miscet.
Hanc tu rubentem prominentibus uenis
Quoties uenire, Paule, uideris contrà,
Dicas licebit, Myrtale bibit laurum.

Ad Sextum. 5

Sexte, Palatinæ cultor facunde Mineruæ,
Ingenio fueris qui propiore Dei:
(Nam tibi nascentes domini cognoscere curas,
Et secreta ducis pectora nosse licet)
Sit locus & nostris aliqua tibi parte libellis,
Qua Pedo, qua Marsus, quaq; Catullus erit.
Ad Capitolini cœlestia carmina belli
Grande cothurnati pone Maronis opus.

Ad Musas. 6

Si non est graue, nec nimis molestum,
Musæ Parthenium rogate uestrum:
Sic te ferior, & beata quondam,
Saluo Cæsare, finiat senectus,
Et sis, inuidia fauente, felix:
Sic Burrus citò sentiat parentem:
Admittas timidam, breuemq; chartam

Intra limina sanctioris aulæ.
Nosti tempora tu Iouis serenI,
Cùm fulget placidus, suoq; uultu.
Quo nil supplicibus solet negare.
Non est, quod metuas preces iniquas.
Nunquam grandia, nec molesta poscit,
Quæ cedro decorata, purpuraq;
Nigris pagina creuit umbilicis.
Nec porrexeris ista: sed teneto
Sic tanquam nihil offeras, agasq;.
Si noui dominum nouem sororum,
Vltro purpureum petet libellum.

Ad Vulcanum. 7

Qualiter Assyrios renouant incendia nidos,
Vna decem quoties secula uixit auis:
Taliter exuta est ueterem noua Roma senectam,
Et sumpsit uultus præsidis ipsa sui.
Iam precor oblitus nostræ, Vulcane, querelæ
Parce: sumus Martis turba, sed & Veneris.
Parce pater: sic Lemniacus lasciua catenis
Ignoscat coniux, & patienter amet.

De Phaside. 8

Edictum domini, Deiq; nostri,
Quo subsellia certiora fiunt,
Et puros eques ordines recepit.
Dum laudat modò Phasis in theatro,
Phasis purpureis ruber lacernis,
Et iactat tunido superbus ore:
Tandem commodius licet sedere:

Nunc est reddita dignitas equestris:
Turba non premimur, nec inquinamur:
Hæc, & talia dum refert supinus,
Illas purpureas, & arrogantes
Iussit surgere Lectius lacernas.

In Symmachum. 9

Languebam: sed tu comitatus protinus ad me
Venisti centum, Symmache, discipulis.
Centum me tetigere manus, Aquilone gelatæ.
Non habui febrem, Symmache: nunc habeo.

Ad Regulum. 10

Esse quid hoc dicam, uiuis quòd fama negatur?
Et sua quì dirarus tempora lector amat?
Hi sunt inuidiæ nimirum, Regule, mores,
Præferat antiquos semper ut illa, nouis.
Sic ueterem ingrati Pompeij quærimus umbram,
Et laudant Catuli Iulia templa senes.
Ennius est lectus, saluo tibi Roma Marone:
Et sua riserunt secula Maeniden.
Rara coronato plausere theatra Menandro:
Norat Nasonem sola Corinna suum.
Vos tamen, ô nostri non segnes ite libelli.
Si post fata uenit gloria, non propero.

De Stella. 11

Sardonychas, smaragdos, adamantas, iaspidas uno
Portat in articulo Stella, scuere, meus.
Multas in digitis, plures in carmine gemmas
Inuenias: inde est hæc, puto, cultra manus.

De eodem. 12

Quod nutantia fronte pertinaci
Gestat pondera Mascilon superbus,
Aut grandis Linus omnibus lacertis
Septem quòd pueros leuat, uel octo,
Res non difficilis mihi uidetur:
Vno cum digito, uel hoc, uel illo
Portet Stella meus decem puellas.

In Callistratum. 13

Sum (fateor) semperq; fui, Callistrate, pauper,
Sed non obscurus, nec malè notus eques.
Sed toto legor orbe frequens: & dicitur, Hic est,
Quodq; cinis paucis, hoc mihi uita dedit.
At tua centenis incumbunt tecta columnis,
Et libertinas arca flagellat opes:
Magnaq; Niliace seruit tibi gleba Syenes,
Tondet & innumeros Gallica Parma greges.
Hoc ego, tuq; sumus: sed quod sum, non potes esse.
Tu quod es, è populo quilibet esse potest.

De Manneio. 14

Sedere primo solitus in gradu semper,
Tunc cùm licebat occupare, Manneius,
Bis excitatus, terq; transtulit castra:
Et inter ipsas penè tertius sellas
Post Caiumq;, Luciumq; consedit.
Illinc cucullo prosticit caput tectus,
Oculoq; ludos spectat indecens uno.
Et hinc miser deiectus in uiam transit,
Subsellioq; semifultus extremo,

Et

Et malè receptus altero genu, iactat
Equiti, sedere se, Lectioq; se stare.

Ad Cæs. Do. 15

Quintus nostrorum liber est, Auguste, iocorum:
Et queritur læsis carmine nemo meo.
Gaudet honorato sed multus nomine lector,
Cui uictura meo munere fama datur.
Quid tamè hæc prosunt, quãuis uenerantia multos?
Non prosint sanè: me tamen ista iuuant.

Ad Lectorem. 16

Seria cùm possim, quòd delectantia malim
Scribere, tu causa es lector amice, mihi,
Qui legis, & tota cantas mea carmina Roma.
Sed nescis, quanti fiet mihi talis amor.
Nam si falciferi defendere templa tonantis,
Sollicitisq; uelim uendere uerbareis,
Plurimus Hispanas mittet mihi nauta metretas,
Et fiet uario sordidus ære sinus.
At nunc conuiua est, comessatorq; libellus:
Et tantum gratis pagina nostra placet.
Sed non hac ueteres contenti laude fuerunt,
Cùm minimum uati munus Alexis erat.
Belle, inquis, dixti. satis est: laudabimur usq;.
Dissimulas? facies me, puto, causidicum.

In Gelliam. 17

Dum proauos, atauosq; refers, & nomina magna,
Dum tibi noster eques sordida conditio est:
Dum te posse negas, nisi lato, Gellia, clauo,
Nubere: nupsisti, Gellia, cisiifero.

Ad Quintianum. 18

Quòd tibi Decembri mense, quo uolant mappæ,
Gracilesq; ligulæ, cereiq; chartæq;,
Et acuta senibus testa cum damascenis:
Præter libellos uernulas nihil misi:
Fortasse auarus uidear, aut inhumanus.
Odi dolosas munerum & malas artes.
Imitantur hamos dona: namque quis nescit,
Auidum uorata decipi scarum musca?
Quoties amico diuiti nihil donat,
O Quintiane, liberalis est pauper.

Ad Cæs. Do. 19

Si qua fides ueri, præferri maxime Cæsar,
Temporibus possunt secula nulla tuis.
Quando magis dignos licuit spectare triumphos?
Quando Palatini plus meruere Dei?
Pulchrior, & maior quo sub duce Martia Roma?
Sub quo libertas principe tanta fuit?
Est tamen hoc uitium, sed non leue, sit licet unum,
Quòd colit ingratas pauper amicitias.
Quis largitur opes ueteri fidoq; sodali?
Aut quem prosequitur non alienus eques?

Ad eundem. 20

Saturnalitiæ ligulam misisse selibræ,
Flammateæ ue togæ scrupula tota decem,
Luxuria est: tumidiq; uocant hæc munera regis.
Qui crepet aureolos, forsitan unus erit.
Quatenus hi non sint, esto tu, Cæsar, amicus.
Nulla ducis uirtus dulcior esse potest.

Iandudum tacito rides Germanice naso,
Vtile, quod non uis, do tibi consilium.

Ad Martialem. 21

Si tecum mihi, chare Martialis,
Securis liceat frui diebus,
Si disponere tempus otiosum,
Et uerè pariter uacare uitæ:
Nec nos atria, nec domos potentum,
Nec lites tetricas, forumq; triste
Noscemus, nec imagines superbas:
Sed gestatio, fabulæ, libelli,
Campus, porticus, umbra, uirgo, thermæ,
Hæc essent loca semper, hi labores.
Nunc uiuit sibi neuter heu, bono sq;:
Soles effugere, atque abire sentit,
Qui nobis pereunt, & imputantur.
Quisquam uiuere cùm sciat, moratur?

De Apollonio. 22

Quintũ, pro Decimo, pro Crasso, Regule, Marcum
Ante salutabat r hetor Apollonius.
Nunc utrunq; suo resalutat nomine. quantum
Cura, laborq; potest! scripsit, & edidicit.

In Paulum. 23

Manè domi nisi te mereri, uoluiq; uidere,
Sint mihi, Paule, tuæ longius exquiliæ.
Sed Tyburtinæ sum proximus accola pilæ,
Quà uidet antiquum rustica Flora Iouem.
Alta suburbani uincenda est semita cliui,
Et nunquam sicco sordida saxa gradu.

Vixq; uberiùs

Vixq́; datur longas mulorum uincere mandras,
Quæq́; trahi multo marmora sune uides.
Illud adhuc grauius, quòd te post mille labores,
Paule, negat lasso ianitor esse domi.
Exitus hic operis uani, togulæq́; madentis.
Vix tanti Paulum mane uidere fuit.
Semper inhumanos habet officiosus amicos.
Rex, nisi dormieris, non potes esse meus.

Ad Bassum. 24

Herbarum fueras indutus, Basse, colores,
Iura theatralis dum siluere loci.
Quæ postquàm placidi Censoris cura renasci
Iussit, & Oceanum certior audit eques:
Non nisi uel cocco madida, uel murice tincta
Veste nites: & te sic dare uerba putas.
Quadringentorum nullæ sunt, Basse, lacernæ:
Aut meus ante omnes Codrus haberet equum.

De Hermete. 25

Hermes Martia seculi uoluptas,
Hermes omnibus eruditus armis,
Hermes & gladiator, & magister,
Hermes turba sui, tremorq́; ludi,
Hermes, quem timet Atilius sed unum.
Hermes, cui cadit aduolans sed uni,
Hermes uincere sed ferire doctus,
Hermes supposititius sibi ipsi,
Hermes diuitiæ locariorum,
Hermes cura, laborq́; ludiarum,
Hermes belligera superbus hasta,

Hermes æquoreo minax ridente,
Hermes casside languida timendus,
Hermes gloria Martis inuicti,
Hermes omnia solus, & ter unus.

De Chærestrato. 26

Quadringenta tibi non sunt, Chærestrate, surge.
Lectius ecce uenit: sta, fuge, curre, late.
Ecquis, io, reuocat discedentemq́; reducit?
Ecquis, io, largas pandit amicus opes?
Quem chartis famaq́; damus, populisq́; loquendũ,
Qui Stygios non ulit totus adire lacus.
Hoc, rogo, non melius, quàm rubro pulpita nimbo
Spargere, & effuso permaduisse croco?
Quàm non sensuro dare quadringenta caballo,
Aureus ut Scorpi nasus ubiq; micet?
O frustra locuples, ô dissimulator, amice:
Hæc legis, & laudas? quæ tibi fama perit?

Ad Codrum. 27

Quòd Alpha dixi, Codre, penulatorum
Te nuper, aliqua cùm iocaver in charta:
Si fortè bilem mouit hic tibi uersus,
Dicas licebit Beta me togatorum.

In Fictum equitem. 28

Ingenium, studiumq́; tibi, moresq́;, genusq́:
Sunt equitis, fateor: cætera plebis habes.
Bis septem tibi iam non sunt subsellia tanti,
Vt sedeas uiso pallidus Oceano.

In Mamercum. 29

Vt bene loquatur, sentiatq́; Mamercus,

Efficere nullis Aule, moribus possis:
Pietate fratres Curios licet uincas,
Quiete Neruas, comitate Drusones,
Probitate Marcos, equitate Mauricos,
Oratione Regulos, iocis Paulos.
Rubiginosis cuncta dentibus rodit.
Hominem malignum forsan esse tu credas.
Ego esse miserum credo; cui placet nemo.

Ad Gellium. 30

Si quando leporem mittis mihi, Gellia, dicis,
Formosus septem, Marce, diebus eris.
Si non derides, si uerum, lux mea, narras:
Edisti nunquam, Gellia, tu leporem.

Ad Varronem. 31

Varro, Sophocleo non inficiande cothurno,
Nec minus in Calabra suspiciende lyra,
Differ opus: nec te facundi scena Catulli
Detineat, cultis aut elegia comis.
Sed lege sumoso non aspernanda Decembri
Carmina, mittuntur quæ tibi mense suo.
Commodius nisi forte tibi, potiusq; uidetur,
Saturnalitias perdere, Varro, nuces.

De ludo puerorum cum iuuencis. 32

Aspice, quàm placidis insultet turba iuuencis,
Et sua quàm facilis pondera taurus amet.
Cornibus hic pendet summis: uagus ille per armos
Currit, & in toto uentilat arma boue.
At seritas immota riget, non esset arena
Tutior, & possent fallere plana magis.

Nec

Nec trepidant gressus; sed de discrimine palmæ
Securus puer est, sollicitumq; pecus.

De Crispo. 33

Quadrantem Crispus tabulis, Faustine, supremis
Non dedit uxori. cui dedit ergo? sibi.

In Causidicum. 34

Carpere causidicus fertur mea carmina, qui sit,
Nescio: si sciero, uæ tibi causidice.

De Erotione. 35

Hanc tibi, Fronto pater, genitrix Flacilla puellam,
Oscula, commendo, deliciasq; meas.
Pallida nec nigras horrescat Erotion umbras,
Oraq; tartarei prodigiosa canis.
Impletura fuit sextæ modo frigora brumæ,
Vixisset totidem ni minus illa dies.
Inter tam ueteres ludat lascina patronos,
Et nomen blæso garriat ore meum.
Mollia nec rigidus cessies tegat ossa: nec illi
Terra grauis fueris, non fuit illa tibi.

De Euclide, ad Fabullum. 36

Cum sibi redire de patruelibus fundis
Ducenta, clamat coccinatus Euclides,
Corinthiosq; plura de suburbano:
Longumq; pulchra stemma repetit à Leda,
Et suscitanti Lælio reluctatur:
Equiti superbo, nobili, locupleti,
Cecidit repentè magna de sinu clauis.
Nunquam, Fabulle, nequior fuit clauis.

Ad

Ad Fauſtinum. 37

Laudatus noſtro quidam, Fauſtine, libello
Diſſimulat, quaſi nil debeat impoſuit.

De Erotionte puella. 38

Puella ſenibus dulcior mihi cygnis,
Agna Galeſi mollior Phalantini,
Concha Lucrini delicatior ſtagni:
Cui nec lapillos præferas Erythræos,
Nec modò politum pecudis Indicæ dentem,
Niuesq; primas, liliumq; non tactum:
Quæ crine uincit Bætici gregis uellus,
Rheniq; nodos, aureamq; mitellam:
Fragrauit ore, quod roſarium Pæſti,
Quod Atticarum prima mella cerarum,
Quod ſuccinorum rapta de manu gleba:
Cui comparatus indecens erat pauo,
Inamabilis ſciurus, & frequens Phœnix:
Adhuc recenti tepet Erotion buſto,
Quàm peſimorum lex auara fatorum.
Sexta peregit hyeme, nec tamen tota,
Noſtros amores, gaudiumq;, luſusq;.
Et eſſe triſtem me meus uetat Pætus:
Pectusq; pulſans, pariter & comam uellens.
Deflere non te uernulæ pudet mortem?
Ego coniugem, inquit, extuli (& tamen uiuo)
Notam, ſuperbam, nobilem, locupletem.
Quid eſſe noſtro fortius poteſt Pæto?
Ducenties accepit, & tamen uinit.

In Calliodorum. 39

Calliodorus habet cenſum (quis neſcit?) equeſtrem,
Sexte: ſed & fratrem Calliodorus habet.
Quadringenta ſecat, qui dicit, σῦνα μέρισι.
Vno credis equo poſſe ſedere duos?
Quid cum fratre tibi, quid cum Polluce moleſto?
Non eſſet Pollux, ſi tibi Caſtor eras.
Vnus cùm ſitis, duo, Calliodore, ſedetis.
Surge: ſolœciſmum, Calliodore, facis.
Aut imitare genus Ledæ: cum fratre ſedere
Non potes: alternis Calliodore ſede.

In Charinum. 40

Supremas tibi tricies in anno
Signanti tabulas, Charine, miſi
Hyblæis madidas thymis placentas.
Defeci: miſerere iam Charine.
Signa rarius, aut ſemel fac illud,
Mentitur tua quod ſubinde tuſſis.
Excuſſi loculoſq; ſaccumq;.
Cœſo diuitior licet fuiſſem,
Ivo pauperior forem, Charine,
Si concham totics meam comeſſes.

Ad Artemidorum. 41

Pinxiſti Venerem: colis, Artemidore, Mineruam.
Et miraris opus diſplicuiſſe tuum?

In Dindymum. 42

Spadone cùm ſis euiratior fluxo,
Et concubino mollior Celænæo,
Quem ſectus ululat matris enthea Gallus:

Theatra loqueris, & gradus, & edicta.
Trabeasq; & Idus, fibulasq; censusq;:
Et pumicata pauperes manu monstras.
Sedere in equitum liceat an tibi scamnis,
Videbo Dindyme: non licet maritorum.

Amicis esse donandum. 43

Callidus effracta numos fur auferet arca:
Prosternet patrios impia flamma lares.
Debitor usuram pariter sortemq; negabit:
Non reddet sterilis semina iacta seges.
Dispensatorem fallax spoliabit amica:
Mercibus extructas obruet unda rates.
Extra fortunam est, quicquid donatur amicis.
Quas dederis, solas semper habebis opes.

De Thaide & Lecania. 44

Thais habet nigros, niueos Lecania dentes.
Quæ ratio est? emptos hæc habet, illa suos.

In Dentonem. 45

Quid factum est rogo, quid repentè factum,
Ad cœnam mihi, Dento, quòd uocanti
(Quis credat?) quater ausus es negare?
Sed nec respicis, & fugis sequentem,
Quem thermis modò quærere, & theatris,
Et conclauibus omnibus solebas.
Sic est: captus es uncliore cœna,
Et maior rapuit canem culina.
Iam te, sed citò cognitum, & relictum,
Cùm fastidierit popina diues,
Antiquæ uenies ad ossa cœnæ.

In Bassam. 46

Dicis formosam, dicis te Bassa puellam.
Istud, quod non est, dicere Bassa soles.

Ad Diadumenum. 47

Basia dum nolo, nisi quæ luctantia carpsi,
Et placet ira mihi plus tua, quam facies:
Vt te sæpe rogem, cedo, Diadumene, sæpe.
Consequor hoc, ut me nec timeas, nec ames.

De Philone. 48

Nunquã se cœnasse domi Philo iurat: & hoc est:
Non cœnat, quoties nemo uocauit eum.

De Encolpo. 49

Quid non cogit amor? secuit nolente capillos
Encolpus domino, nec prohibente tamen.
Permisit, fleuitq; Pudens, sic cessit habenis
Audaci questus de Pl[illegible]honte pater.
Talis raptus Hylas, talis deprehensus Achilles
Deposuit gaudens, matre dolente, comas.
Sed tu nec propera, breuibus nec crede capillis,
Tardaq; pro tanto munere, barba ueni.

Ad Labienum. 50

Vidissem modò fortè cùm sedentem
Solum te, Labiene, treis putaui.
Calue me numerus tuæ sessellæ.
Sunt illinc tibi sunt & hinc capilli.
Quales nec puerum decere possint.
Nudum est in medio caput, nec ullus
In longa pilus area notatur.
Hic error tibi profuit Decembri.

Tunc, cùm prandia misit Imperator,
Cum panariolis tribus redisti.
Talem Gerionem fuisse credo.
Vites, censeo, porticum Philippi.
Si te uiderit Hercules, peristi.

In Charopinum. 51

Cœno domi quoties, nisi te, Charopine, uocaui,
Protinus ingentes sunt inimicitiæ:
Meq; petis stricte medium transfigere ferro,
Si nostrum sine te, scis caluisse focum.
Nec semel ergo mihi furtum feciſſe licebit.
Improbius nihil est hac, Charopine, gula.
Desine iam nostram (precor) obseruare culinam:
Atq; aliquando meus det tibi uerba coquus.

Ad Rufum. 52

Hic qui libellis pergrauem gerit læuam,
Notariorum quem premit chorus læuus,
Qui codicillis hinc, & inde prolatis,
Epistolisq; commodat grauem uultum,
Similis Catoni, Tullioq;, Brutoq;:
Exprimere, Rufe, fidiculæ licet cogant,
Aue Latinum, χαῖρε non potest Græcum.
Si fingere me istud putas salutemus.

In Posthumum. 53

Quæ mihi præstiteris, memini semperq; tenebo.
Cur igitur taceo, Posthume? tu loqueris.
Incipio quoties alicui tua dona referre,
Protinus exclamat, Dixerat ipse mihi.
Non belle quædam faciunt duo: sufficit unus

Huic

Huic operi: si uis ut loquar, ipse tace.
Crede mihi, quamuis ingentia, Posthume, dones,
Autoris pereunt garrulitate sui.

Ad Bassum. 54

Colchida quid scribis, quid scribis amice Thyesten?
Quid tibi uel Niobe, Basse, uel Andromache?
Materia est (mihi crede) tuis aptissima chartis
Deucalion: uel, si non placet hic, Phaethon.

De Rhetore. 55

Extemporalis factus est meus Rhetor.
Calphurnium non scripsit, & salutauit.

De Aquila. 56

Dic mihi, quem portas uolucrũ regina? Tonas tem.
Nulla manu quare fulmina gestat? Amat.
Quo calet igne Deus? Pueri. Cur mitis aperto
Respicis ore Iouem? De Ganymede loquor.

Ad Iupum. 57

Cui tradas, Lupe, filium magistro,
Queris sollicitus, diuq; tentas.
Omnes grammaticosq; rhetorasq;
Deuites, moneo, nihil sit illi
Cum libris Ciceronis, aut Maronis.
Famæ Rutilium suæ relinquat.
Si uersus facit, abdices poëtam.
Artes discere uult pecuniosas?
Fac discat citharœdus, aut choraules. discat J.S.
Si duri puer ingenii uidetur,
Præconem facias, uel architectum.

Nil

Ad Cinnam. 58

Cùm uoco te dominum, nolo tibi, Cinna, placere.
Sæpe etiam seruum sic resaluto meum.

Ad Posthumum. 59

Cras te uicturum, cras dicis, Posthume, semper.
Dic mihi, cras istud, Posthume, quando uenit?
Quàm longè cras istud? ubi est, aut unde petẽdum?
Numquid apud Parthos, Armeniosq; latet?
Tam cras istud habet Priami, uel Nestoris annos.
Cras istud quanti, dic mihi, possit emi?
Cras uiues, hodie iam uiuere, Posthume, serum est.
Ille sapit, quisquis, Posthume, uixit heri.

Ad Stellam. 60

Quòd non argentum, quòd non tibi misimus aurũ
Hoc facimus causa, Stella diserte, tua.
Qui quis magna dedit, uoluit sibi magna remitti.
Fictilibus nostris exoneratus eris.

Ad Detractorem. 61

Adlatres licet usque nos, & usque,
Et gannitibus improbis lacessas:
Certum est, hanc tibi pernegare famam,
Olim quam petis in meis libellis,
Qualiscunq; legaris ut per orbem.
Nam te cur aliquis sciat fuisse?
Ignotus pereas, miser necesse est.
Non deerunt tamen hac in urbe forsan
Vnus, uel duo, tres ue, quattuor ue,
Pellem rodere qui uelint canimam.
Nos hac à scabie tenemus ungues.

In Marianum. 62

Crispulus iste quis est, uxori semper adhæret
Qui, Mariane, tuæ? crispulus iste quis est?
Nescio quid dominæ teneram qui garrit in aurem,
Et sellam cubito dexteriore premit?
Per cuius digitos currit leuis annulus omnes,
Crura gerit nullo qui uiolata pilo?
Nil mihi respondes? Vxoris res agit, inquis,
Iste meæ sanè certus, & asper homo est,
Procuratorem uultu qui præferat ipso:
Acrior hoc Chius non erit Ausidius.
O quàm dignus eras alapis Mariane Latinis!
Te successurum credo ego Panniculo.
Res uxoris agit? res nullas Crispulus iste,
Res non uxoris, res agit iste tuas.

Ad Hospites. 63

Iure tuo nostris maneas licet hospes in hortis,
Si potes in nudo ponere membra solo:
Aut si portatur tecum tibi magna supellex.
Nam mea iam digitum sustulit hospitibus.
Nulla tegit fractos, nec inanis, culcitra lectos:
Puris & abrupta fascia reste iacet,
Sit tamen hospitium nobis commune duobus.
Emi horros, plus est: instrue tu, minus est.

Ad Ponticum. 64

Quid sentis, inquis, de nostris Marce libellis?
Sic me sollicitus, Pontice, sæpe rogas.
Admiror, stupeo: nihil est perfectius illis:
Ipse tuo cedit Regulus ingenio.

Hoc sentis? inquis: faciat tibi sic bene Cæsar,
Sic Capitolinus Iuppiter, imò tibi.

Ad suos ministros. 65

Sextantes, Calliste, duos infunde Falerni.
Tu super æstiuas, Alcime, funde niues.
Pinguescat nimio madidus mihi crinis amomo:
Lassenturq; vosis tempora sutilibus.
Iam uicina iubent nos uiuere mausolea,
Cum doceant, ipsos posse perire Deos.

Ad Cæsarem. 66

Astra, polumq; dedit, quamuis obstante nouerca
Alcidæ, Nemeæ terror, & Arcas aper:
Et castigatum Libycæ ceroma palæstræ,
Et grauis in Siculo puluere sustis Eryx,
Syluarumq; tremor, tacita qui fraude solebat
Ducere nec rectas Cacus in antra boues.
Istæ tuæ, Cæsar, quota pars spectantur arenæ?
Dat maiora nouus prælia manè dies.
Quot graniora cadunt Nemeæo pondera monstro!
Quot tua Mænalios collocat hasta sues!
Reddatur si pugna triplex pastoris Iberi,
Est tibi, qui possit uincere Geryonem.
Sæpe licet Graiæ numeretur bellua Lernæ,
Improba Niliacis quid facit Hydra feris?
Pro meritis Cœlum tantis Augustæ dederunt
Alcidæ citò Dij: sed tibi sero dabunt.

In Pontilianum. 67

Sæpe salutatus, nunquam prior ipse salutas.
Sic erit æternum, Pontiliane, male.

De Hirundine. 68

Hybernos peterent solito cùm more recessus
Aithides, in nidis una remansit auis.
Deprendere nefas ad tempora uerna reuersæ,
Et profugam uolucres diripuere suæ.
Sero dedit pœnas: discerpi noxia mater
Debuerat: sed tunc, cùm laceraut Itym.

De Apicio. 69

Dederas Apici, bis trecenties uentri,
Et adhuc supererat centies tibi laxum.
Hoc tu grauatus, ne famem, & sitim ferres,
Summa uenenum potione duxisti.
Nil est, Apici, tibi gulosius factum.

In Inuitatorem. 70

Omnia cùm reto pueris obsonia tradas,
Cur non mensa tibi ponitur a pedibus?

De Tusco haruspice. 71

Vite nocens rosa stabat moriturus ad aras
Hircus, Bacche, tuis uictima grata sacris.
Quem Tuscus mactare Deo cum uellet haruspex,
Dixerat agresti forte, rudiq; uiro,
Vt citò testiculos & acuta falce secaret,
Teter ut immundæ carnis abiret odor.
Ipse super uirides aras luctantia pronus
Dum resecat cultro colla, premitq; manu,
Ingens iratis apparuit hernia sacris:
Occupat hanc ferro rusticus, atq; secat,
Hoc ratus antiquos sacrorum poscere ritus,
Talibus & fibris numina prisca coli.

Sic, modò qui Tuscus fueras, nũc Gallus Haruspex
Dum iugulas hircum factus es ipse caper.

Ad Faustinum. 72

Si temperari balneum cupis feruens,
Faustine, quod uix Iulianus intraret,
Roga, lauet uti, rhetorem Sabineum.
Neronianas is refrigerat thermas.

In Candidum. 73

Prædia solus habes, & solus, Candide nummos:
Aurea solus habes, myrrhina solus habes:
Massica solus habes, & Opimi Cæcuba solus:
Et cor solus habes, solus & ingenium.
Omnia solus habes, hoc me puto posse negare.
Vxorem sed habes, Candide, cum populo.

In Gallum. 74

Numquam me reuocas, uenias cùm sæpe uocatus.
Ignosco, nullum si modò, Galle, uocas.
Inuitas alios, uitium est utriusq; quod? inquis.
Et mihi cor non est, nec tibi, Galle, pudor.

In Nestorem. 75

Auriculam Mario grauiter miraris olere.
Tu facis hoc: garris, Nestor, in auriculam.

In Zoilum. 76

Has cum gemina compede dedicat catenas,
Saturne, tibi Zoilus, annulos priores.

Ad Gargilianum. 77

Sportula nulla datur: gratis conuiua recumbis.
Dic mihi, quid Romæ, Gargiliane, facis?
Vnde tibi togula est, & fuscæ pensio cellæ?

Vnde datur quadrans? unde uir es Chiones?
Cum ratione licet dicas te uiuere summa,
Quòd uiuis, nulla cum ratione facis.

Ad Rufinum. 78

Sum tibi (confiteor) diffusi iugera campi,
Vrbaniq; tenent prædia multa lares:
Et seruit dominæ nunc rosius debitor arcæ,
Sustentatq; tuas aurea mensa dapes.
Fastidire tamen noli, Rufine, minores.
Plus habuit Didymus plus Philomelus habet.

In Matrinian. 79

Non possum uetulam, quereris, Matrinia? possum
Et uetulam: sed tu mortua, non uetula es.
Possum Hecubam possum Nioben, Matrinia: sed si
Nondum erit illa canis, nondum erit illa lapis.

Qualem Puellam uelit. 80

Ingenuam malo: sed si tamen illa negatur,
Libertina mihi proxima condicio est.
Extremo est ancilla loco: sed uincet utramq;,
Si facie nobis hæc erit ingenua.

Ad Chionem. 81

Digna tuo cur sis, indignaq; nomine, dicam:
Frigida es, & nigra es: non es, & es Chione.

De Piscibus sculptis. 82

Artis Phidiacæ toreuma clarum,
Pisces aspicis, adde aquam: natabunt.

In Fabianum. 83

Quod nouus, & nuper factus, tibi præstat amicus,
Hoc præstare iubes me, Fabiane, tibi.

Horridus ut primo semper te mane salutem,
Per medium̄q; trahat me tua sella lutum:
Lassus ut in thermas decima, uel serius hora
Te sequar Agrippæ, cùm lauer ipse Titi.
Hoc per triginta merui, Fabiane, Decembres,
Vt sim tyro tuæ semper amicitiæ?
Hoc merui, Fabiane, toga tritaq; meaq;,
Vt nondum credas me meruisse rudem?

In Irascentes amicos. 84

Irasci tantùm felices nostis amici.
Non belle facitis: sed iuuat hoc facere.

Ad Sextum. 85

Quæ te causa trahit, uel quæ fiducia Romam,
Sexte? quid aut speras, aut petis inde? refer.
Causas inquis, agam Ciceronе disertius ipso:
Atq; erit in triplici par mihi nemo foro.
Egit Atestinus causas & Ciuis: utrumq;
Noras, sed neutri pensio tota fuit.
Si nihil hinc ueniet, pangentur carmina nobis:
Audieris, dices esse Maronis opus.
Insanis, omnes gelidis quicunq; lacernis
Sunt ibi, Nasones, Virgiliosq; uides.
Atria magna colam, uix treis aut quattuor ista
Res aluit: pallet cætera turba fame.
Quid faciam? suade: nam certum est, uiuere Romæ;
Si bonus es, casu uiuere Sexte potes.

De Lycori. 86

Iliaco similem puero Faustine ministro
Lusca Lycoris amat, quam bene lusca uidet!

In Thelesinum. 87

Mutua quòd nobis ter quinquagimta dedisti
Ex opibus tantis, quas grauis arca premit,
Esse tibi magnus, Thelesine, uideris amicus.
Tu magnus, quòd das? imò ego, quòd recipis.

De lacerta cælata. 88

Inserta phialæ Mentoris manu ductæ
Lacerta uiuit, & timetur argentum.

In Pollam. 89

Lomento rugas uteri quòd condere tentas,
Polla, tibi uentrem, non mihi labra linis.
Simpliciter pateat uitium fortasse pusillum.
Quod tegitur, maius creditur esse malum.

In Lentinum. 90

Mentiris iuuenem tinctis, Lentine, capillis,
Tam subitò cornus, qui modò cygnus eras.
Non omneis fallis, scit te Proserpina canum:
Personam capiti detrahet illa tuo.

In Ligurinum. 91

Occurrit tibi nemo quòd libenter:
Quod quacunq; uenis, fuga est, & ingens
Circa te, Ligurine, solitudo,
Quid sit scire cupis? nimis poëta es.
Hoc ualde uitium periculosum est.
Non tigris catulis citata raptis,
Non dipsas medio perusta sole,
Nec sic scorpius improbus timetur.
Nam tantos, rogo, quis ferat labores?
Et stanti legis, & legis sedenti:

Currenti legis, & legis cacanti.
In thermas fugio: sonas ad aurem.
Piscinam peto: non licet natare.
Ad cœnam propero: tenes cuntem.
Ad cœnam uenio: fugas sedentem.
Lassus dormio: suscitas iacentem.
Vis, quantum facias mali, uidere?
Vir iustus, probus, innocens timeris.

De eodem. 92

Fugerit an mensas Phœbus, cœnamq; Thyestæ.
Ignoro: fugimus nos, Ligurine, tuam.
Illa quidem lauta est, dapibusq; instructa superbis.
Sed nihil ommino, te recitante, placet.
Nolo mihi ponas rhombum, mullumue bilibrem:
Nolo boletos, ostrea nolo: tace.

Ad Candidum. 93

Exigis à nobis operam sine fine togatam.
Non eo, libertum sed tibi mitto meum.
Non est, inquis, idem. multo plus esse probabo.
Vix ego lecticam subsequar: ille feret.
In turbam incideris, cunctos umbone repellet:
Inualidum est nobis, ingenuumq; latus.
Quidlibet in causis narraueris, ipse tacebo:
At tibi tergeminum mugiet ille sophos.
Lis erit: ingenti faciet conuicia uoce:
Esse pudor uetuit fortia uerba mihi.
Ergo nihil nobis, inquis, præstabis amicus?
Quicquid libertus, Candide, non poterit.

De Bassо, ad Faustinum. 94

Capena grandi porta quà pluit gutta,
Phrygiumq; matris Almo qua lauat ferrum.
Horatiorum quà uiret sacer campus,
Et quà pusilli seruet Herculis sanum,
Faustine, plena Bassus ibat in rheda
Omneis beati copias trahens ruris.
Illic uideres frutice nobili caules,
Et utrunq; porrum, sesilesq; lactucas,
Pigroq; uentri non inutiles betas.
Illic coronam pinguibus grauem turdis,
Leporemq; læsum Gallici canis dente,
Nondumq; uicta lacteum faba porcum.
Nec seriatus ibat ante carrucas,
Sed tuta sœno cursor oua portabat.
Romam petebat Bassus: imò rus ibat.

De Ollo. 95

Pauperis extruxit cellam, sed uendidit Ollus
Prædia: nunc cellam pauperis Ollus habet.

In inuitatorem. 96

Vicentana mihi misces, tu Massica potas.
Olfacere hæc malo pocula, quam bibere.

In Ligurinum. 97

Hæc tibi, non alia est ad cœnam causa uocandi,
Versiculos recites ut Ligurine tuos.
Deposui soleas, affertur protinus ingens
Inter lactucas, oxygarumq; liber.
Alter perlegitur, dum fercula prima morantur.
Tertius est, nec adhuc mensa secunda uenit.

Et quartum recitas, & quintum deniq; librum.
Putidus est, toties si mihi ponis aprum.
Quòd si non scombris scelerata poëmata dones,
Cœnabis solus iam, Ligurine, domi.

Ad Gallam. 98

Cùm faciem laudo, cùm mirror crura, manusq;,
Dicere, Galla, soles, nuda placebo magis.
Et semper uitas communia balnea nobis,
Numquid Galla times, ne tibi non placeam?

Ad Tongilianum. 99

Empta domus fuerat tibi, Tongiliane, ducentis:
Abstulit hanc nimium casus in urbe frequens,
Collatum est decies. Rogo, non potes ipse uideri
Incendisse tuam, Tongiliane, domum?

Ad Chloën. 100

Et uultu poteram tuo carere,
Et collo, manibusq; scruribusq;,
Et mammis, natibusq;, clunibusq;:
Et, ne singula persequi laborem,
Tota te poteram, Chloë, carere.

Ad Gallam. 101

Cùm dare non possim, quod poscis, Galla, rogatem
Multò simplicius, Galla, negare potes.

In Gelliam. 102

Quòd quacunq; uenis, Cosmum migrare putamus
Et fluere excusso cinnama fusa uitro.
Nolo peregrinis placeas tibi, Gellia, nugis,
Scis puto posse meum, sic bene olere canem.

De Caupone Rauennate. 103

Si cisterna mihi, quam uinea, malo Rauennæ:
Cùm pessim multò uendere pluris aquam.
Callidus imposuit nuper mihi Caupo Rauennæ:
Cùm peterem mistum, uendidit ille merum.

De Villa Faustini, ad Bassum. 104

Baiana nostri uilla, Basse, Faustini
Non otiosis ordinata myrtetis,
Viduaq; platano, tonsiliq; buxeto,
Ingrata lati spatia detinet campi.
Sed rure uero barbaroq; latatur.
Hic sarta premitur angulo Ceres omni,
Et nulla fragrat testa senibus autumnis.
Hic post Nouembres imminente iam bruma,
Seras putator horridus resecat uuas.
Truces in alta ualle mugiunt tauri,
Vitulusq; inermi fronte prurit in pugnam.
Vagatur omnis turba sordidæ cortis,
Argutus anser, gemmeiq; pauones,
Nomenq; debet quæ rubentibus pennis,
Et picta perdix, Numidicæq; guttatæ.
Et impiorum phasiana Colchorum.
Rhodias superbi fœminas premunt galli:
Sonantq; turres plausibus columbarum.
Gemit hinc palumbus, inde cereus turtur.
Hinnidi sequuntur uillicæ sinum porci:
Matremq; plenam mollis agnus expectat,
Cingunt serenum lactei focum uernæ:
Et larga festos lucet ad lares sylua.

Non ſegnis albo pallet otio campo.
Nec perdit oleum lubricus paleſtrita.
Sed tendit auidis rete ſubdolum turdis,
Tremulaque captum linea trahit piſcem,
Aut impeditam caſſibus refert damam,
Exercet hilares facilis hortus umbellas,
Et pædagogo non iubente, laſciui
Parere gaudent illico capillati.
Et delicatus opere fruitur eunuchus,
Nec uenit inanis ruſticus ſalutator.
Fert ille ceris cana cum ſuis mella,
Mactamq; lactis Saſſinate de ſylua,
Somniculoſos ille porrigit glires,
Hic uagientem matris hiſpidæ fœtum.
Alius coactos non amare capones.
Et dona matrum uimineo ferunt texto
Grandes proborum uirgines colonorum.
Facto uocatur lætus opere uicinus,
Nec auara ſeruat craſtinas dapes menſa,
Veſcuntur omnes, ebrioq; non nouit
Satur miniſter inuidere conuiuæ.
At tu ſub urbe poſſides famem mundam,
Et turre ab alta proſpicis meras laurus,
Furem Priapo non timente, ſecurus.
Et uinitorem farre paſcis urbano:
Pictamq; portas otioſus ad uillam
Olus, oua, pullos, poma, caſeum, muſtum.
Rus hoc uocari debet, an domus longè?

De Sutore & Fullone. 105

Sutor credo dedit tibi, culta Bononia, munus.
Fullo dedit Mutinæ: nunc ubi copo dabit?

In Ponticum. 106

Cùm uocor ad cœnam, non tam uenalis, ut antè,
Cur mihi non eadem, quæ tibi cœna datur?
Oſtrea tu ſumis ſtagno ſaturata Lucrino:
Sumitur inciſo mytilus ore mihi.
Sunt tibi boleti: fungos ego ſumo ſuillos:
Res tibi cum rhombo eſt: at mihi cum ſparulo.
Aureus immodicis turtur te clunibus implet:
Ponitur in caue a mortua pica mihi.
~~*Cur ſine te cœno, cùm tecum, Pontice, cœnem?*~~
Sportula quod non eſt, proſit: edamus idem.

In Cinnam. 107

Eſſe nihil dicis, quicquid petis, improbe Cinna,
Sinil, Cinna, petis: nil tibi, Cinna, nego.

In Quintum. 108

Centenis quòd emis pueros, & ſæpe ducentis,
Quod ſub rege Numa condita uina bibis,
Quod conſtat decies tibi non ſpecioſa ſupellex,
Libra quòd argenti millia quinq; rapit:
Aurea quòd ſundi pretio carruca paratur,
Quod pluris nulli eſt, quàm domus empta tibi,
Hæc animo magno credis te, Quinte, parare?
Falleris, hæc animus, Quinte, puſillus emit.

In Corilum. 109

Cotile, bellus homo es: dicunt hoc, Cotile, multi.
Audio: ſed quid ſit, dic mihi, bellus homo?

Bellus homo est, pexos qui digerit ordine crines?
Balsama qui semper, Cinama semper olet:
Cantica qui Nili, qui Gaditana susurrat,
Qui mouet in uarios brachia uolsa modos:
Inter fœmineas tota qui luce cathedras
Desidet, atq; aliqua semper in aure sonat:
Qui legit hinc, illinc missas scribitq; tabellas:
Pallia uicini qui refugit cubiti:
Qui scit, quam quis amet, qui per conuiuia curris:
Hirpini ueteres qui bene nouit auos.
Quid narras? hoc est, hoc est homo, Cotile, bellus?
Res petricosa est, Cotile, bellus homo.

Ad Lesbiam. 110

Arctoa de gente comam tibi, Lesbia, misi:
Vt scires quantò sit tua flaua magis.

In M. Antonium. 111

Antoni, Pharios mihi obiectare Photino,
Et leuius tabula, quàm Cicerone nocens,
Quid gladium demens Romana stringis in ora?
Hoc admisisset nec Catilina nefas.
Impius infando miles corrumpitur auro?
Et tantis opibus uox tacet una tibi?
Quid prosunt sacræ pretiosa silentia linguæ?
Incipient omnes pro Cicerone loqui.

De Syrisco, ad Maximum. 112.

Infusum sibi nuper à patrono
Plenum, Maxime, centies Syriscus
In sellariolis uagus popinis
Circa balnea quattuor peregit.

O quanta

O quanta est gula, centies comesse!
Quantò maior adhuc, nec accubare!

Ad Faustinum. 113

Humida qua gelidas summittit Trebula ualles,
Et uiridis Cancri mensibus alget ager,
Riua Cleonæo nunquam temerata Leone,
Et domus Æolio semper amica Noto,
Te Faustine uocat: longas his exige messes,
Collibus hybernum iam tibi Tyber erit.

De origine Bacchi. 114

Qui potuit Bacchi matrem dixisse Tonantem,
Ille potest Semelen dicere, Ruse, patrem.

Ap Theodorum. 115

Non donem tibi cur meos libellos
Ouanti toties, & exigenti,
Mivaris Theodore? magna causa est:
Dones tu mihi ne tuos libellos.

De Pompeio, & filiis. 116

Pompeios iuuenes Asia, atq; Europa, sed ipsum
Terra tegit Libyes: si tamen ulla tegit.
Quid mirum, toto si spargitur orbe? iacere
Vno non poterat tanta ruina loco.

Ad Quintum. 117

Quæ legis causa nupsit tibi Lælia, Quinte,
Vxorem potes hanc dicere legitimam.

Ad Cinnam. 118

Profecit poto Mithridates sæpe ueneno,
Toxica ne possent sæua nocere sibi.
Tu quoq; cauisti cœnando tam malè semper,

Ne posses nunquam, Cinna, perire fame.

Ad Marullum. 119

Narratur belle quidam dixisse, Marulle,
Qui te ferre oleum dixit in auriculam.

Ad Toranium. 120

Si trisli domi cœnio laboras,
Torani, potes esurire mecum.
Non deerunt tibi, si soles ψοπίνειν,
Viles Cappadocæ, graues q; porri:
Diuisis cybium latebit ouis.
Ponetur digitis tenendus ustis
Nigra coliculus uirens patella,
Algentem modò qui reliquit hortum,
Et pultem niueam premens botellus,
Et pallens faba cum rubente lardo.
Mensæ munera si uoles secundæ,
Marcentes tibi porrigentur uuæ,
Et nomen pyra quæ ferunt Syrorum:
Et quas docta Neapolis creauit,
Lento castaneæ uapore tostæ.
Vinum tu facies bonum bibendo.
Post hæc omnia sortè si mouebit
Bacchus, quam solet esuritionem,
Succurrent tibi nobiles oliuæ,
Piceni modò quas tulere rami,
Et feruens cicer, & tepens lupinus.
Parua est cœnula, quis potest negare?
Sed finges nihil, audies'ue fictum.
Et unius placidus tuo recumbes,

Nec crassum dominus leget uolumen:
Nec de Gadibus improbis puellæ
Vibrabunt sine fine prurientes
Lasciuos docili tremore lumbos:
Sed quod non graue sit, nec insacetum,
Parui tibia condyli sonabit.
Hæc est cœnula, Claudiam sequeris,
Quam nobis cupis esse tu priorem.

In Zoilum. 121

Vndecies una surrexti, Zoile, cœna,
Et mutata tibi est synthesis undecies,
Sudor inhæreret madida ne uestis retentus,
Et laxam tenuis læderet aura cutem.
Quare ego non sudo, qui tecum, Zoile, cœno?
Frigus enim magnum synthesis una facit.

Ad Seuerum. 122

Non totam mihi, si uacabis, horam
Dones, & licet imputes, Seuere,
Dum nostras legis, exigisq; nugas,
Durum est perdere ferias, rogamus.
Iacturam patiaris hanc, ferasq;:
Quid si legeris ipsa cum diserto,
(Sed nunquid sumus improbi?) Secundo,
Plus multò tibi debiturus hic est,
Quam debet domino suo libellus.
Nam securus erit, nec inquieta
Lassi marmora Sisyphi uidebit:
Quem censoria cum meo Seuero
Docti lima momorderit Secundi.

Ad Aemilianum. 122

Semper eris pauper, si pauper es, Aemiliane,
Dantur opes nullis nunc, nisi diuitibus.

In Gaurum. 123

Quid promittebas mihi millia, Gaure ducenta,
Si dare non poteras millia, Gaure, decem?
An potes, & non uis? rogo non est turpius istud?
I, tibi dispereas, Gaure: pusillus homo es.

Ad Dindymum. 124

Insequeris fugio: fugis, insequor. haec mihi mens est:
Velle tuum nolo, Dindyme: nolle uolo.

Ad Gallam. 125

Iam tristis nucibus puer relictis
Clamoso reuocatur a magistro,
Et blando malè perditus fritillo
Arcana modò raptus è popina
Aedilem rogat udus aleator,
Saturnalia transiere tota,
Nec munuscula parua, nec minorae
Misisti mihi, Galla, quae solebas.
Sanè sic abeat meus December.
Scis certè, puto, uestra iam uenire
Saturnalia, Martias Calendas:
Tunc reddam tibi, Galla, quod dedisti.

M. VAL.

M. VAL. MARTIALIS
EPIGRAMMATON LIBER VI.

I



EXTVS mittitur hic tibi libellus,
In primis mihi chare Martialis:
Quem si terseris aure diligenti,
Audebit minus anxius, tremensq;
Magnas Caesaris in manus uenire.

Adulatorium. 2

Lusus erat sacrae connubia fallere tedae:
Lusus & immeritos execuisse mares.
Vtraq; tu prohibes, Caesar: populisq; futuris
Succurris, nasci quos sine fraude iubes.
Nec spado iã, nec moechus erit, te praeside, quisquã:
At prius (ô mores) & spado moechus erat.

De filio Domitiani. 3

Nascere Dardanio promissum nomen Iulo,
Vera Deûm soboles: nascere, magne puer:
Cui pater aeternas, post secula, tradat habenas,
Quique regas orbem cum seniore senex.
Ipsa tibi niueo trahet aurea pollice fila,
Et totam Phryxi Iulia nebit ouem.

Adulatorium. 4

Censor maxime, principumq; princeps,
Cum tot iam tibi debeat triumphos,
Tot nascentia templa, tot renata,
Tot spectacula, tot Deos, tot urbes:

Plus debet tibi Roma, quòd pudica est.

Ad Cæcilianum. 5

Rustica mercatus numis sum prædia mulis:
Mutua des centum, Cæciliane, rogo.
Nil mihi respondes. tacitum te dicere credo:
Non reddes. Ideo, Cæciliane, rogo.

Ad Lupercum. 6

Comœdi tres sunt: sed amat tua Paula Luperce
Quattuor: & πωὼν Paula πρόσωπον amat.

De Thelesina, ad Faustinum. 7

Iulia lex populis ex quo Faustine, renata est,
Atq; intrare domos iussa pudicitia,
Aut minus, aut certè non plus trigesima lux est:
Et nubit decimo iam Thelesina uiro.
Quæ nubit toties, non nubit: adultera lege est.
Offendor mœcha simpliciore minus.

Ad Seuerum. 8

Prætores duo, quattuor Tribuni,
Septem causidici, decem poëtæ,
Cuiusdam modò nuptias petebant
Aquodam sene. Non moratus ille
Præconi dedit Eulogo puellam.
Dignum quid fatuo, Seuere, fecit?

Ad Leuinum. 9

In Pompeiano dormis, Leuine, theatro:
Et quereris si te suscitat Oceanus?

Petit latenter à Do. pecu. 10

Pauca Iouem nuper cùm millia fortè rogarem,
Ille dabit, dixit, qui mihi templa dedit.

Templ

Templa quidem dedit ille Ioui, sed millia nobis
Nulla dedit: pudeat pauca roga sse Iouem.
At quam non tetricus, quam nulla nubilus ira,
Quam placido nostras legerat ore preces?
Talis supplicibus tribuit diadémata Dacis,
Et Capitolinas itq; reditq; uias.
Dic, precor, ô nostri, dic conscia uirgo Tonantis:
Si negat hoc uultu, quo solet ergo dare?
Sic ego: sic breuiter posita mihi Gorgone Pallas:
Quæ nondum data sunt, stulte, negata putas?

In Marcum. 11

Quid non sit Pylades hoc tempore, nō sit Orestes,
Miraris? Pylades, Marce, bibebat idem.
Nec melior panis, turdusq; dabatur Oresti:
Sed par, atq; eadem cœna duobus erat.
Tu Lucrina uoras: me pascit aquosa Peloris.
Non minus ingenua est & mihi Marce gula.
Te Cadmea Tyros, me pinguis Gallia uestit:
Vis tē purpureum, Marce, sagatus amem?
Vt præstē Pyladen, aliquis mihi præstet Orestem.
Hoc non fit uerbis: Marce, ut ameris, ama.

De Fabulla, ad Paulum. 12

Iurat capillos esse, quos emit, suos
Fabulla: nunquid illa, Paule, peierat?

De statua Iuliæ. 13

Quis te Phidiaco formatam, Iulia, cœlo,
Vel quis Palladiæ non putet artis opus?
Candida non tacita respondet imagine Lygdos:
Et placido fulget uiuus in ore decor.

Ludit Acidalio, sed non manus aspera nodo,
Quem rapuit collo parue Cupido tuo.
Vt Martis reuocetur amor Summiq; Tonantis,
Ate Iuno petat cestion, & ipsa Venus.

In Laberium. 14

Versus scribere posse te disertos
Assimas Laberi, quid ergo non uis?
Versus scribere qui potest disertos,
Non scribat Laberi: uirum putabo.

De Formica electro inclusa. 15

Dum Phaethontea formica nagatur in umbra,
Implicuit tenuem succina gutta feram.
Sic modò quæ furat uita contempta manente,
Funeribus facta est nunc pretiosa suis.

Ad Priapum. 16

Tu, qui pene uiros terres, & falce cinædos,
Iugera sepositi pauca tuere loci.
Sic tua non mirent uetuli pomaria fures,
Sed puer, aut longis pulchra puella comis.

In Cinnamum. 18

Cinnam, Cinname, te iubes uocari.
Non est hic, rogo, Cinna barbarismus?
Tu si Furius ante dictus esses,
Fur ista ratione dicereris.

Ad Priscum, de Salonino. 18

Sancta Salonini terris requiescit Iberis,
Qua melior Stygias non uidet umbra domos.
Sed lugere nefas: nam, qui te, Prisce, reliquit,
Viuit, qua uoluit uiuere parte magis.

In Posthumum. 19

Non de ui, neq; cæde, nec ueneno,
Sed lis est mihi de tribus capellis.
Vicini queror has abesse furto.
Hoc iudex sibi postulat probari.
Tu Cannas, Mithridaticumq; bellum,
Et periuria Punici furoris,
Et Syllas, Mariosq;, Mutiosq;
Magna uoce sonas, manuq; tota.
Iam dic, Posthume, de tribus capellis.

In Phœbum. 20

Mutua te centum sestertia, Phœbe, rogaui,
Cùm mihi dixisses, Exigis ergo nihil?
Inquiris dubitas, cunctaris: meq; diebus,
Teq; decem crucias. Iam rogo, Phœbe, nega.

De Hiantide, & Stella. 21

Perpetuam Stellæ dum iungit Hiantida nati
Læta Venus, dixit, Plus dare non potui.
Hæc coram domina: sed nequius illud in aurem,
Tu ne quid pecces exitiose, uide.
Sæpe ego lasciuum Martem furibunda cecidi,
Legitimos esset cùm uagus ante toros.
Sed postquam meus est, nulla me pellice læsit.
Tam frugi Iuno uellet habere Iouem.
Dixit, & arcano percussit pectora loro.
Plaga iuuat. sed tu iam dea cæde duos.

In Proculinam. 22

Quod nubis, Proculina, concubino,
Et mœchum modò, nunc facis maritum,

Ne lex Iulia te notare posit:
Non nubis Proculina sed fateris.

In Lesbiam. 23

Stare iubes nostrum semper tibi, Lesbia, penem.
Crede mihi, non est, mentula quod digitus.
Tu licet & manibus blandis, & uocibus insles,
Contra te facies imperiosa tua est.

De Carisiano. 24

Nil lasciuius est Carisiano.
Saturnalibus ambulat togatus.

Ad Marcellinum. 25

Marcelline boni soboles syncera parentis,
Horrida Parrhasio quem tegit Vrsa iugo:
Ille uetus pro te, patriusq; quid optet amicus,
Accipe, & hæc memori pectore uota tene:
Cauta sit ut uirtus: nec te temerarius ardor
In medios cuses, seuaq; tela ferat.
Bella uelint, Martemq; ferum rationis egentes:
Tu potes & patriæ miles, & esse decus.

De Sotade. 26

Periclitatur capite Sotades noster.
Reum putatis esse Sotadem non est.
Arrigere desit posse Sotades: lingit.

Ad Nepotem. 27

Bis uicine Nepos (nam tu quoq; proxima Floræ
Incolis, & uteres tu quoq; Ficelias)
Est tibi, quæ patrij signatur imagine uultus,
Testis maternæ nata pudicitiæ.
Tu tamen annoso nimium ne parce Falerno:

Et potius plenos ære relinque cados.
Sit pia, sit locuples sed potet filia mustum.
Amphora cum domina nunc noua fiat anus.
Cacuba non solos uindemia nutriat orbos.
Possint & patres uiuere, crede mihi.

Epitaphium Glauciæ. 28

Libertus Melioris ille notus,
Tota qui cecidit dolente Roma,
Chari deliciæ breues patroni,
Hoc sub marmore Glaucias humatus
Iunctlo Flaminiæ iacet sepulcro:
Castius moribus, integer pudore,
Velox ingenio, decore felix.
Bissenis modo mensibus peractis,
Vix unum puer applicabat annum.
Ni fles talia, nil fleas uiator.

De Eodem. 29

Non de plebe domus, nec auaræ uernæ catasta,
Sed domini sancto dignus amore puer.
Munera cùm posset nondum sentire patroni,
Glaucia libertus iam Melioris erat.
Moribus hoc formæq; datum. quis blandior illo?
Aut quis Apollineo pulchrior ore fuit?
Immodicis breuis est ætas, & rara senectus.
Quicquid amas, cupias non placuisse nimis.

In Pætum. 30

Sex Sestertia si statim dedisses,
Cùm dixti mihi, Sume, tolle, dono,
Deberem tibi, Pæte, pro ducentis.

At nunc cùm dederis diu moratus,
Post septem puto, uel nouem Calendas:
Vis dicam tibi uerior ueris,
Sex sestertia, Pate, perdidisti.

In Charidemum. 31

Vxorem, Charideme, tuam scis ipse, sinisq;
A medico futui: uis sine febre mori.

De morte Othonis. 32

Cùm dubitaret adhuc belli ciuilis Enyo
Forsitan, & posset uincere mollis Otho,
Damnauit multo saturum iam sanguine Martem
Et fodit certa pectora nuda manu.
Sit Cato, dum uiuit, sanè uel Cæsare maior:
Dum moritur, nunquid maior Othone fuit?

De Sabello ad Mathonem. 33

Nil miserabilius, Matho, pædicone Sabello
Vidisti, quo nil lætius antè fuit.
Furta, fugæ, mortes seruorum, incendia, luctus
Affligunt hominem. tam miser, & futuit?

Ad Diadumenum. 34

Basia da nobis, Diadumene pressa quot inquis?
Oceani fluctus me numerare iubes,
Et maris Aegæi sparsas per littora conchas,
Et quæ Cecropio monte uagantur apes:
Quæq; sonant pleno uocesq;, manusq; theatro,
Cum populus subiit Cæsaris ora uidet.
Nolo quot arguto dedit exorata Catullo
Lesbia, pauca cupit, qui numerare potest.

In Cæcilianum. 35

Septem clepsydras magna tibi nocte petenti
Arbiter inuitus, Cæciliane, dedit.
At tu multa diu dicis, uitreisq; tepentem
Ampullis potas semisupinus aquam.
Vt tandem satiet uocemq; sitimq; rogamus,
Iam de clepsydra, Cæciliane, bibas.

Ad Papilum. 36

Mentula tam magna est, tantus tibi, Papile, nasus,
Vt possis, quoties arrigis, olfacere.

In Charinum. 37

Secti podicis usq; ad umbilicum
Nullas reliquias habet Charinus:
Et prurit tamen usq; ad umbilicum.
O quanta scabie miser laborat!
Culum non habet, est tamen cinædus.

De filio Reguli. 38

Aspicis, ut paruus, nec adhuc trieteride plena
Regulus auditum laudet, & ipse patrem?
Maternosq; sinus, uiso genitore, relinquat,
Et patrias laudes sentiat esse suas?
Iam clamor, centumq; uiri, densiq; corona
Vulgus, & infanti Iulia tecta placent.
Acris equi soboles magno sic puluere gaudet,
Sic nitulus molli prælia fronte cupit.
Dij seruate precor, matri sua uota, patriq;,
Audiat ut natum Regulus, illa duos.

In Cinnam. 39

Patet ex Marulla, Cinna, factus es septem

Non

Non liberorum (nanq; nec tuus quisquam,
Nec est amici filius ue uicini:)
Sed in grabatis, tegetibusq; concepti
Materna produnt capitibus suis furta.
Hic, qui retorto crine Maurus incedit,
Sobolem fatetur esse se Cogisantræ.
At ille simo nare, turgidis labris,
Ipsa est imago Pannici Palæstritæ.
Pistoris esse tertium quis ignorat,
Quicunq; lippum nouit, & uidet Damam?
Quartus cinæda fronte, candido ultu,
Ex concubino natus est tibi Lygdo:
Præcide, si uis, filium: nephas non est.
Hunc uerò acuto capite, & auribus longis,
Quæ sic mouentur, ut solent asellorum,
Quis morionis filium neget Gythæi?
Duæ sorores, illa nigra, & hæc rufa
Croti choraulæ, uilliciq; sunt Carpi.
Iamq; hybridarum grex tibi foret plenus,
Si spado Coreusus, Dindymusq; non essent.

Ad Lycorim. 40

Fœmina præferri potuit tibi nulla, Lycori:
Præferri Glyceræ fœmina nulla potest.
Hæc erit hoc, quod tu: tu nõ potes esse, quod hæc
Tempora quid faciunt? hanc uolo, te uolui.

In Raucum Poëtam. 41

Qui recitat lana fauces, & colla reuinctus,
Hic se posse loqui, posse tacere negat.

De Hetrusci thermis. 42

Hetrusci nisi thermulis laueris,
Illotus morieris, Oppiane.
Nullæ sic tibi blandiuntur undæ,
Nec fontes Aponi rudes puellis,
Non mollis Sinuessa, feruidiq;
Eluctus Passeris, aut superbus Anxur,
Non Phœbi uada, principesq; Baiæ.
Nusquam tam nitidum micat serenum.
Lux ipsa est tibi longior, diesq;
Nullo tardius à loco recedit.
Illic Taygeti uirent metalla,
Et certant uario decore saxa,
Quæ Phryx, & Libys altius cecidit.
Siccos pinguis onyx anhelat æstus:
Et flamma tenui calent Ophitæ.
Ritus si placeant tibi Laconum,
Contentus potes arido uapore,
Crudæ Virgine, Martiaq; mergi:
Quæ tam candida, tam serena lucet,
Vt nullas ibi suspiceris undas,
Et credas uacuam nitere Lygdon.
Non attendis, & aure me supina,
Iandudum quasi negligenter audis.
Illotus morieris, Oppiane.

Ad Castricum. 43

Dum tibi felices indulgent, Castrice, Baiæ,
Canaq; sulphureis Nympha natatur aquis:
Me Nomentani confirmant otia ruris,

Et casa ingeribus non onerosa suis.
Hic mihi Baiani soles, mollisq; Lucrinus:
Hic nostræ mihi sunt, Castrice, diuitiæ.
Quondam laudatas quocunq; libebat ad undas
Currere, nec longas pertimuisse uias:
Nunc urbi uicina iuuant, facilesq; recessus:
Et satis est pigro si licet esse mihi.

In Calliodorum. 44

Festiuè credis te, Calliodore, iocari,
Et solum multo permaduisse sale.
Omnibus arrides, dicteria dicis in omnes:
Sic te conuiuam posse placere putas.
At si ego non bellè, sed uerè dixero quiddam,
Nemo propinabit, Calliodore, tibi.

In Lectoriam. 45

Zusistis: satis est: lasciui nubite cunni.
Permissa est uobis non nisi casta Venus.
Hæc est casta Venus? nubit Lectoria Lygdo.
Turpior uxor erit, quam modò mœcha fuit.

Ad Catianum. 46

Vapulat assiduo Veneti quadriga flagello:
Nec currit magnam rem, Catiane, facit.

Ad Hiantida Nympham. 47

Nympha mei Stellæ, quæ fonte domestica puro
Laberis, & domini gemmea tecta subis:
Siue Numæ coniux Triuiæ te misit ab antro,
Siue Camœnarum de grege nona uenis:
Exoluit uotis hac se tibi uirgine porca
Marcus, furtiuam quòd bibit æger aquam.

Tu contenta meo iam crimine gaudia fontis
Da secura tui: sit mihi sana sitis.

In Pomponium. 47

Quòd tam grande sophos clamat tibi turba togata,
Non tu, Pomponi, cœna diserta tua est.

De Priapo. 48

Non sum de fragili dolatus ulmo:
Nec quæ stat rigida supina uena,
De ligno mihi quolibet columna est,
Sed uiua generata de cupresso,
Quæ nec secula centies peracta,
Nec longè cariem timet senectæ.
Hanc, tu quisquis es ô malus, timeto.
Nam si uel minimos manu rapaci
Hoc de palmite laseris racemos,
Nascetur, licet hoc uelis negare,
Inserta tibi ficus in cupresso.

De Thelesino. 49

Cùm coleret pueros pauper Thelesinus amicos,
Errabat gelida sordibus in togula.
Obscœnos postquam cœpit curare cinædos,
Argentum, mensas, prædia solus emit.
Vis fieri dives, Bithynice? conscius esto:
Nil tibi, uel minimum, basia pura dabunt.

Ad Lupercum. 50

Quòd conuiuaris, sine me, tam sæpe, Luperce,
Inueni noceam qua ratione tibi.
Trascar, licet usq; uoces, mittasq; roges q;.
Quid facies? inquis, quid faciam? ueniam.

Epitaphium Pantagathi. 51

Hoc iacet in tumulo raptus puerilibus annis
Pantagathus, domini cura, doloréq; sui,
Vix tangente uagos ferro resecare capillos
Doctus, & hirsutas excoluisse genas.
Sit licet inde sibi tellus placata, leuisq;,
Artificis leuior non potes esse manu.

De Andragora, ad Faustinum. 52

Totus nobiscum est, hilaris cœnauit, & idem
Inuentus manè est mortuus, Andragoras.
Tam subitæ mortis causam, Faustine, requiris?
In somnis medicum uiderat Hermocratem.

De Sextiliano ad Aulum. 53

Tantos, & tantas si dicere Sextilianum,
Aule uetes, iunget uix tria uerba miser,
Quid sibi uult? inquis. dicam, quid suspicor esse.
Tantos, & tantas Sextilianus amat.

In Coracinum. 54

Quòd semper casiaq;, cinnamoq;,
Et nido niger altis superbæ
Fragras plumbea Nicerotiana,
Rides nos, Coracine, nil olentes.
Malo, quàm bene olere, nil olere.

In Charidemum. 55

Quòd tibi crura rigent setis, & pectora uillis,
Verba putas famæ te, Charideme, dare.
Extirpa (mihi crede) pilos de corpore toto:
Teq; pilare tuæ testificare nates.
Quæ ratio est? inquis. scis multos dicere multa.

Fac, prædicari te, Charideme, putent.

In Phœbum. 56

Mentiris fictos unguento, Phœbe, capillos,
Et tegitur pictis sordida calua comis.
Tonsorem capiti non est adhibere necessum:
Radere te melius spongia, Phœbe, potest.

Ad Aulum Pudentem. 57

Cernere Parthasios dum te iuuat, Aule, triones
Comminus, & Scythici sidera ferre poli,
O quàm penè tibi Stygias ego raptus ad undas
Elysiæ uidi nubila fusca plagæ!
Quamuis lassa tuos quærebant lumina uultus:
Atq; erat in gelido plurimus ore Pudens.
Si mihi Lanificæ ducunt non pulla sorores
Stamina, nec surdos uox habet ista Deos:
Sospite me sospes Latias reuehere ad urbes,
Et referes pili præmia clarus eques.

In Baccaram. 58

Et dolet, & queritur, sibi non contingere frigus
Propter sexcentas Baccara gausapinas.
Optat & obscuras luces, uentosq;, niuesq;:
Odit & hybernos, si tepuere, dies.
Quid fecere mali nostræ tibi, scæua, lacernæ,
Tollere de scapulis quas leuis aura potest?
Quanto simplicius, quanto est humanius illud,
Mense uel Augusto sumere gausapinas!

De Pompillo. 59

Rem factam Pompillus habet Faustine: legetur,
Et nomen toto sparget in orbe suum.

Sic leue flauorum ualeat genus Vispiorum,
Quisquis & Ausonium non amat imperium.
Ingeniosa tamen Pompilli scripta feruntur:
Sed famæ non est hoc (mihi crede) satis.
Quam multi tineas pascunt, blattasq; diserti!
Et redimunt soli carmina docta coci!
Nescio quid plus est, quod donat secula chartis,
Victurus Genium debet habere liber.

In Inuidum. 60

Laudat, amat, cantat nostros mea Roma libellos:
Meq; sinus omnis, me manus omnis habet.
Ecce rubet quidam, pallet, stupet, oscitat, odit.
Hoc uolo: nunc nobis carmina nostra placent.

Ad Apianum de Silano. 61

Amisit pater unicum Silanus.
Cessas mittere munera Apiane?
Heu crudele nefas, maleq; Parcæ.
Cuius uulturis hoc erit cadauer?

Ad Marianum. 62

Scis te captari, scis hunc, qui captat, auarum:
Et scis qui captat, quid, Mariane, uelit:
Tu tamen hunc tabulis hæredem, stulte, supremis
Scribis, & esse tuo uis furiose loco.
Munera magna quidem misit, sed misit in hamo.
Et piscatorem piscis amare potest?
Hiccine defiebit uero mea fata dolore?
Si cupis, ut ploret, des, Mariane, nihil.

In Detractorem. 63

Cum sis nec rigida Fabiorum gente creatus,

Nec qualem Curio dum prandia portat auarus,
Hirsuta peperit rubicunda sub ilice coniux:
Sed patris ad speculum tonsis, matrisq; togatæ
Filius, & sponsam posse te sponsa uocare:
Emendare meos, quos nouit fama, libellos,
Et tibi permittis felices carpere nugas:
Has, inquam, nugas, quibus aurem aduertere totam
Non aspernantur proceres, urbisq; soriq;:
Quas & perpetui dignantur scrinia Sili,
Et repetit toties facundo Regulus ore,
Quiq; uidet propius magni certamina Circi
Laudat Auentinæ uicinus Sara Dianæ.
Ipse etiam tanto dominus sub pondere rerum
Non dedignatur bis, terq; reuoluere Cæsar.
Sed tibi plus mentis, tibi cor limante Minerua
Acrius, & tenues finxerunt pectus Athenæ.
Ne ualeam si non multo sapit altius istud,
Quod cum panticibus laxis, & cum pede grandi,
Et rubro pulmone uetus, uasisq; timendum
Omnia crudelis Lanius per compita portat.
Audes præterea, quos nullius nouerit in me
Scribere uersiculos, miseras & perdere chartas.
Age si quid nostræ tibi bilis inusserit ardor,
Viuet, & hærebit, totoq; legetur in orbe.
Stigmata nec uafra delebit Cinnamus arte,
Sed miserere tui, rabido nec perditus ore
Fumantem nasum uiui tentaueris ursi.
Sit placidus licet & lambat, digitosq;, manusq;:
Si dolor, & bilis, si iusta coëgerit ira,

Vrsus erit nacua dentes in pelle fatiges,
Et tacitus quæras, quam possis rodere, carnem.

Ad Tuccam. 64

Hexametris epigrãma facis, scio dicere Tuccam.
Tucca, solet fieri dentiq; Tucca, licet.
Sed tamẽ hoc lõgũ est. solet hoc quoq; Tucca, licere.
Si breuiora probas, districha sola legas.
Conueniat nobis, ut fas epigrammata longa,
Sic transire tibi, scribere, Tucca, mihi.

De Præcone puellam uendente. 65

Famæ non nimium bonæ puellam,
Quales in media sedent Suburra,
Vendebat modò præco Gellianus.
Paruo cum pretio diu liceret,
Dum puram cupit approbare cunctis,
Attraxit propè se manu negantem,
Et bis, terq; quaterq; basiauit.
Quid profecerit osculo requiris?
Sexcentos modò qui dabat, negauit.

Ad Pannicum. 66

Cur tantùm eunuchos habeat tua Gellia, quæris
Pannice? uult futui Gellia, non parere.

De morte Eutychi pueri. 67

Flete nefas uestrum, sed toto flete Lucrino
Naiades: & luctus sentiat ipsa Thetis.
Inter Baianas raptus puer occidit undas
Eutychus ille, tuum, Castrice, dulce latus.
Hic tibi curarum socius, blandumq; leuamen,
Hic amor, hic nostri uatis Alexis erat.

Nunq

Nunquid te uitreus nudum lasciua sub undis
Vidit, & Alcidæ Nympha remisit Hylam?
An Dea fœmineũ iam negligit Hermaphroditũ,
Amplexu teneri sollicitata uiri?
Quicquid id est, subitæ quæcunq; est causa rapinæ,
Sit precor & tellus mitis, & unda tibi.

De Bassa, ad Catulum. 68

Non miror, quòd potat aquam tua Bassa, Catulle:
Miror, quod Basi filia potat aquam.

Ad Martianum. 69

Sexagesima, Martiane, messis
Acta est, & puto iam secunda Cottæ.
Nec se tædia lectuli calentis
Expertum meminit die uel uno.
Ostendit digitum, sed impudicum.
Alconti, Dasioq; Symmachoq;.
At nostri bene computentur anni,
Et quantum tetricæ tulere febres,
Aut languor grauis, aut mali dolores,
Auita meliore separentur:
Infantes sumus, & senes uidemur.
Ætatem Priamiq;, Nestorisq;
Longam qui putat esse, Martiane,
Multum decipitur, fallituráq;.
Non est uiuere, sed ualere, uita.

De Thelesina. 70

Edere lasciuos, & Batica crusmata gestus,
Et Gaditanis ludere docta modis:
Tendere quæ tremulũ Pelian, Hecubæq; maritum

Posset ad Hectoreos sollicitare rogos:
Vrit, & excruciat dominum, Thelesina, priorem.
Vendidit ancillam, nunc redimit dominam.

De Cilice fure. 71

Fur notæ nimium rapacitatis
Compilare Cilix uolebat hortum:
Ingenti sed erat, Fabulle, in horto
Præter marmoreum nihil Priapum.
Dum non uult uacuâ manu redire,
Ipsum surripuit Cilix Priapum.

De Priapo. 72

Non rudis indocta fecit me falce colonus,
Dispensatoris nobile cernis opus.
Nam Cæretani culior notissimus agri
Hos Hilarus colles, & iuga læta tenet.
Aspice, quàm certo uideat non ligneus ore,
Nec deuota focis inguinis arma geram:
Sed mihi perpetua nunquam moritura cupresso
Phidiaca rigeat mentula digna manu.
Vicini (monco) sanctum celebrate Priapum,
Et bis septenis parcite iugeribus.

Ad Esculanum. 73

Medio recumbit imus ille qui lecto,
Caluam triphylen segmentatus unguento,
Foditq; tonsis ora laxa lentiscis:
Mentitur, Esculane: non habet dentes.

In Pontiam. 74

Cùm mittis turdum'ue mihi, quadram'ue placentæ
Siue femur leporis, siue quid his simile,
Buccellas

Buccellas misisse tuas te, Pontia, dicis.
Has ego nec muttam Pontia, sed nec edam.

Epitaphium Fusci. 75

Ille sacri lateris custos, Martisq; togati,
Credita cui summi castra fuere ducis,
Hic situs est Fuscus: licet hoc fortuna fateri:
Non timet hostiles iam lapis iste minas.
Grande iugum domita Dacus ceruice recepit:
Et famulum uictrix possidet umbra nemus.

In Aphrum. 76

Cùm sis tam pauper, quàm nec miserabilis Irus,
Tam iuuenis, quàm nec Parthenopæus erat,
Tam fortis, quàm nec, cùm uinceret Artemidorus:
Quid te Cappadocum sex onus esse iuuat?
Rideris, multoq; magis traduceris, Apher,
Quam nudus medio si spatiere foro.
Non aliter mostratur Atlas cum compare mulo,
Quæq; uehit similem bellua nigra Libyn.
Inuidiosa tibi quam sit lectica, requiris?
Non debes ferri mortuus Hexaphoro.

Ad Aulum, de Lusco. 77

Potor, nobilis, Aule, lumine uno
Luscus Phryx erat, alteroq; lippus:
Huic dicit medicus, Bibas caueto
Vinum: si biberis, nihil uidebis.
Ridens Phryx, oculo, Valebis, inquit.
Misceri sibi protinus deunces,
Sed crebros iubet exitum requiris?
Vinum Phryx, oculus bibit uenenum.

Ad Lupum. 78

Tristis es, & felix: sciat hoc fortuna, caueto.
Ingratum dicet te, Lupe, si scierit.

De rosis ad Cæs. missis. 79

Vt noua dona tibi, Cæsar, Nilotica tellus
Miserat hybernas ambitiosa rosas,
Nauita derisit Pharios Memphiticus hortos,
Vrbis ut intrauit limina prima tuæ.
Tantus ueris honos, & odoræ gratia Floræ,
Tantaq; Pæstani gloria ruris erat.
Sic quacunq; uagus gressumq; oculosq; ferebat,
Textilibus sertis omne rubebat iter.
At tu Romanæ iussus iam cedere brumæ,
Mitte tuas messes, accipe Nile rosas.

In Charidemum. 80

Fratus tanquam populo, Charideme, lauaris:
Inguina sic toto subluis in solio.
Nec caput hic uellem sic te, Charideme, lauare,
Et caput ecce lauas: inguina malo laues.

Ad Rufum. 81

Quidam me modo, Rufe, diligenter
Inspectum, uelut emptor, aut lanista,
Cum uultu digitoq; subnotasset,
Tu'ne es, tu'ne, ait, ille Martialis,
Cuius nequitias, iocosq; nouit
Orbem qui modò non habet seuerum?
Subrisi modicè, leuiq; nutu
Me, quem dixerat, esse non negaui.
Cur ergo, inquit, habes malas lacernas?

Respond

Respondi: quia sum malus poëta.
Hoc ne sæpius accidat poëtæ,
Mittas, Rufe, mihi bonas lacernas.

Ad Cæsarem Domitianum. 82

Quantum sollicito fortuna parentis Hetrusco,
Tantum, summe ducum, debet uterq; tibi.
Nam tu missa tua reuocasti fulmina dextra,
Hos cuperem mores ignibus esse Iouis.
Si tua sit summo Cæsar natura Tonanti,
Vtetur toto fulmine rara manus.
Muneris hoc utrunq; tui testatur Hetruscus
Esse, quod & comiti contigit, & reduci.

De Philippo. 83

Asclaphoro sanus portatur, Auite, Philippus.
Hunc tu si sanum credis, Auite, furis.

Flet mortem Rufi. 84

Editur en sextus sine te, mi, Rufe, Camœnis,
Nec te lectorem sperat, amice, liber.
Impia Cappadocum tellus, & numine læuo
Visa tibi, cineres reddit, & ossa patri.
Funde tuo lacrymas, orbata Bononia, Rufo:
Et resonet tota planctus in Aemilia.
Heu qualis pietas! heu quàm breuis occidit ætas!
Viderat Alphei premia quinq; modò.
Pectore tu memori nostros euoluere lusus,
Tu solitus nostros, Rufe, tenere iocos.
Accipe cum fletu mœsti breue carmen amici,
Atq; hæc absentis iura fuisse puta.

In Bibentes aquam. 85

Setinum dominæq; nives, denſiq; trientes,
Quando ego uos, medico non prohibente, bibam?
Stultus, & ingratus, nec tanto munere dignus,
Qui mauult hæres diuitis eſſe Midæ.
Poſſideat Libycas meſſes, Hermumq; Tagumq;
Et potet calidam qui mihi laudat, aquam.

Ad Cæſarem. 86

Dij tibi dent, & tu Cæſar, quæcunq; mereris:
Dij mihi dent, & tu, quæ uolo, ſi merui.

Ad Cæcilianum. 87

Manè ſalutaui uero te nomine caſu:
Nec dixi dominum, Cæciliane, meum.
Quanti libertas conſtet mihi tanta, requiris?
Centum quadrantes abſtulit illa mihi.

De Panareto potore. 88

Cùm peteret ſeram media iam nocte matellam
Arguto madidus pollice Panaretus:
Spoletina data eſt, ſed quam ſiccauerat ipſe:
Nec fuerat ſoli tanta lagœna ſatis.
Ille fide ſumma teſtæ ſua uina remenſus,
Reddidit œnophori pondera plena ſui.
Miratis, quantum biberat, cepiſſe lagœnam?
Deſine mirari, Ruſe: merum biberat.

De Gellia. 89

Mœchum Gellia non habet, niſi unum.
Turpe eſt hoc magis: uxor eſt duorum.

In Zoilum. 90

Sancta ducis ſummi prohibet cenſura, metatq;

Mœchari: gaude Zoile, non futuis.

In Amianum. 91

Calatus tibi cùm ſit, Amiane,
Serpens in patera Myronis arte:
Vaticanæ bibis, bibis uenenum.

De Thaide. 92

Tam malè Thais olet, quàm non Fullonis auari
Teſta uetus, media ſed modò fracta uia.
Non ab amore recens hircus, non ora Leonis,
Non detracta cani trà Styberina cutis.
Pullus abortiuo nec cùm putreſcit in ouo,
Amphora corrupto nec uitiata Garo.
Virus ut hoc alio fallax permutet odore,
Depoſita quoties balnea ueſte petit,
Pſilothro nitet, aut acida latet oblita creta:
Aut tegitur pingui terq; quaterq; faba.
Cùm bene ſe tutam per fraudes mille putauit:
Omnia cùm fecit, Thaida Thais olet.

De Calpetiano. 93

Ponuntur ſemper chryſendeta Calpetiano,
Siue foris, ſeu cùm cœnat in urbe domi.
Sic etiam in ſtabulo ſemper, ſic cœnat in agro,
Non habet ergo aliud? non habet immò ſuum.

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATON LIBER VII.

Ad Loricam Domitiani. 1

ACCIPE belligeræ crudum thoracis Mineruæ,
Ipsa Medusæ quo tumet ira deæ.
Dū uocat hæc, Cæsar, poterit lorica uocari:
Pectore cum sacro sederit, Aegis erit.
Inuia Sarmaticis domini lorica sagittis,
Et Martis Getico tergore fida magis:
Quam uel ad Actiolæ securam cuspidis ictus,
Texuit innumeri lubricus unguis apri.
Felix sorte tua es sacrum cui tangere pectus
Fas erit, & nostri mente calere Dei.
I comes, & magnos illæsa merere triumphos:
Palmataq; ducem: sed citò, redde togæ.

Ad Pontilianum. 2

Cur non mitto meos tibi, Pontiliane, libellos?
Ne mihi tu mittas, Pontiliane, tuos.

De Oppiano, ad Castricum. 3

Esset, Castrice, cum mali coloris,
Versus scribere cœpit Oppiatus.

Ad Cæsarem Domitianum. 4

Si desiderium, Cæsar, populiq;, patrumq;
Respicis, & Latiæ gaudia uera togæ,
Reddæ

Reddæ deum uotis poscentibus, inuidet hosti
Roma suo, ueniat laurea multa licet.
Terrarum dominum propius uidet ille: tuoq;
Terretur uultu barbarus, & fruitur.

De fama reditus Domitiani. 5

Ecquid Hyperboreis ad nos conuersus ab oris
Ausonias Cæsar iam parat ire uias?
Certus abest autor, sed uox hoc nuntiat omnis.
Credo tibi: uerum dicere, Fama, soles,
Publica uictrices testantur gaudia chartæ:
Martia laurigera cuspide pila uirent.
Rursus Io magnos clamat tibi Roma triumphos:
Inuictusq; tua, Cæsar, in urbe sonas.
Sed iam lætitiæ quò sit fiducia maior,
Sarmaticæ laurus nuntius ipse ueni.

Ad Cæsarem Domitianum. 6

Hyberna quamuis Arctos, & rudis Peuce,
Et angularum pulsibus calens Ister,
Fractusq; cornu iam ter improbo Rhenus,
Teneat domantem regna perfidæ gentis,
Te summe mundi rector, te parens orbis:
Abesse nostris non tamen potes uotis.
Illic & oculis, & animis sumus, Cæsar.
Adeoq; mentes omnium tenes unus,
Vt ipsa magni turba nesciat Circi
Vtrum'ne currat Passerinus, an Tigris.

De reditu Domitiani. 7

Nunc hilares, si quando, mihi nunc ludite, Musæ.
Victor ab Odrysio redditur orbe Deus.

Certa

Certa facis populi tu primus uota December.
Iam licet ingenti dicere uoce, Venit.
Felix sorte tua: poteras non cedere Iano,
Gaudia si nobis, quæ dabat ille, dares.
Festa coronatus ludet conuicia miles,
Inter laurigeros cùm comes ibit equos.
Fas audire iocos, leuioraq; carmina, Cæsar,
Et tibi si lusus ipse triumphus amat.

De Casselio. 8

Cùm sexaginta numeret Cassilius annos,
Ingeniosus homo est: quando disertus erit?

In Olum. 9

Prædicatur Oros, sellat Linus: Ole quid ad te,
De cute quid faciat ille, uel ille sua?
Centenis sutuit Matho millibus: Ole quid ad te?
Non tu propterea, sed Matho pauper erit.
In lucem cœnat Sertorius: Ole quid ad te,
Cùm liceat totæ sertere nocte tibi?
Septingenta Tito debet Lupus, Ole quid ad te?
Assem ne dederis, crediderisue Lupo.
Illud dissimulas, ad te quod pertinet, Ole,
Quodq; magis curæ conuenit esse tuæ.
Pro togula debes: hoc ad pertinet, Ole.
Quadrantem nemo iam tibi credet: & hoc.
Vxor mœcha tibi est: hoc ad te pertinet, Ole.
Poscit iam dotem filia grandis: & hoc.
Dicere quindecies poteram, quod pertinet ad te:
Sed quid agas, ad me pertinet, Ole, nihil.

Ad Pudentem. 10

Cogis me calamo, manuq; nostra
Emendare meos, Pudens, libellos.
O quam me nimium probas, amasq;,
Qui uis archetypas habere nugas?

Ad Faustinum. 11

Sic me fronte legat dominus, Faustine, serena,
Excipiatq; meos, qua solet, aure iocos,
Vt mea, nec iussè quos odit, pagina læsit,
Et mihi de nullo fama rubore placet.
Quid prodest, cupiant cùm quidam nostra uideri,
Si qua Lycambeo sanguine tela madent?
Vipereumq; uomant nostro sub nomine uirus,
Qui Phœbi radios ferre, diemq; negant?
Ludimus innocuis uerbis: hoc iuro potentis
Per Genium famæ, Castalidumq; gregem,
Perq; tuas aures magni mihi numinis instar,
Lector, inhumana liber ab inuidia.

De Lycoride. 12

Dum Tyburtinis albescere collibus audit
Antiqui dentis fusca Lycoris ebur,
Venit in Herculeos colles quid Tyburis alti
Aura ualet? paruo tempore nigra redit.

De sua puella ad Aulam. 13

Accidit infandum nostræ scelus, Aule, puellæ:
Amisit lusus, deliciasq; suas:
Non quales teneri plorauit amica Catulli
Lesbia, nequitiis passeris orba sui:
Vel Stellæ cantata meo, quam fleuit Hiantis,

Cuius in Elysio nigra columba uolat.
Lux mea non capitur nugis, nec amoribus istis,
Nec dominæ pectus talia damna mouent.
Bisdenos puerum numerantem perdidit annos,
Mentula cui nondum sesquipedalis erat.

Ad Arginum puerum. 14

Quis puer hic nitidis adsistit Hiantidos undis,
Et fugit ad dominam Naida? nunquid Hylas?
O bene, quòd syluæ colitur Tirynthius ista,
Et quòd amatrices tam propè seruat aquas.
Securus licet hos fontes, Argine, ministres:
Nil faciunt Nymphæ: ne uelit ipse, caue.

Ad Regulum. 15

Aera domi non sunt. Superest hoc, Regule, tantum:
Vt tua uendamus munera, nunquid emis?

Ad Bibliothecam Iulii Mart. 16

Ruris bibliotheca delicati,
Vicinam uides unde lector urbem,
Inter carminæ sanctiora si quis
Lasciuæ fuerit locus Thaliæ,
Hos nido licet inseras nel imo,
Septem quos tibi misimus libellos,
Autoris calamo sui notatos:
Hæc illis pretium facit litura.
At tu munere dedicata paruo,
Quæ cantaberis orbe nota toto,
Pignus pectoris hoc mei tuere
Iuli bibliotheca Martialis.

In Gallam. 17

Cùm tibi sit facies, de qua nec fœmina possit
Dicere, cùm corpus nulla litura notet:
Cur te tam uarius cupiat, repetatq; fututor,
Miraris? uitium est non leue, Galla, tibi.
Accessi quoties ad opus, mistisq; mouemur
Inguinibus, cunnus non tacet, ipsa taces.
Dij facerent, ut tu loquereris, & ipse taceret.
Offendunt cunni garrulitate tui.
Pedere te mallem: nanq; hoc nec utile dicit
Symmachus, & risum res mouet ista simul.
Quis uidere potest satui poppysmata cunni?
Cùm sonat hic, cui non mentula, mensq; cadit?
Dic aliquid saltem, clamosoq; obstrepe cunno:
Et, si adeò muta es, disce uel inde loqui.

De fragmento Argus. 18

Fragmentum, quod uile putas, & inutile lignum,
Hæc fuit ignoti prima carina maris.
Quam nec Cyaneæ quondam potuere ruinæ
Frangere, nec Scythici tristior unda freti.
Secula uicerunt. Sed quamuis cesserit annis,
Sanctior est salua parua tabella rate.

In Sanctram. 19

Nihil est miserius, nec gulosius Sanctra.
Reclam uocatus cùm recurrit ad cœnam,
Quam tot diebus, noctibusq; captauit,
Ter poscit apri glandulas, quater lumbum,
Et utranq; coxam leporis, & duos armos:
Nec erubescit peierare de turdo,

Et ostreorum rapere liuidos cirros.
Buccis placentæ sordidam limit mappam.
Illic & uuæ collocantur ollares,
Et Punicorum paucæ grana malorum,
Et excauatæ pellis indecens uuluæ,
Et lippa ficus, debilisq; boletus.
Sed mappa cùm iam mille rumpitur furtis,
Rosos tepenti spondylos sinu condit,
Indeuorato capite turturem truncum.
Colligere longa turpe nec pudet dextra
Analecta, quicquid & canes reliquerunt.
Nec esculenta sufficit gulæ præda:
Mistlo lagœnam replet ad pedes uino.
Hæc per ducentas cùm domum tulit scalas,
Seq; obseruata clusit anxius cella,
Gulosus ille, postero die uendit.

De Natali Lucani. 20

Hæc est illa dies, quæ magni conscia partus,
Lucanum populis, & tibi, Polla, dedit.
Heu Nero crudelis, nullaq; inuisior umbra:
Debuit hoc saltem non licuisse tibi.

De eodem. 21

Vatis Appollinei magno memorabilis ortu
Lux redit: Aonidum turba, fauete sacris.
Hæc meruit, cùm te terris Lucane dedisset,
Mistius Castaliæ Bætis ut esset aquæ.

De eodem. 22

Phœbe ueni, sed quantus eras, cùm bella canenti
Ipse dares Latiæ plectra secunda lyræ.

Quid tanta pro luce precer? tu Polla maritum
Sæpe colas, & se sentiat ipse coli.

In Maledicum. 23

Cum Iuuenale meo quæ me committere tentas,
Quid non audebis perfida lingua loqui?
Te fingente nefas, Pyladen odisset Orestes,
Thesea Pirithoi destituisset amor.
Tu Siculos fratres, & maius nomen Atridas,
Et Zetæ poteras dissociare genus.
Hoc tibi pro meritis, & talibus imprecor ausis,
Vt facias illud, quod, puto, lingua facis.

In Malum Poëtam. 24

Dulcia cùm tantum scribas epigrammata semper,
Et cerussata candidiora cute:
Nullaq; mica salis, nec amari sellis in illis
Gutta sit: ò demens, uis tamen illa legi?
Nec cibus ipse iuuat morsu fraudatus aceti:
Nec grata est facies, cui gelasinus abest.
Infanti melimela dato, fatuasq; marisca:
Nam mihi, quæ nouit pungere, Chia sapit.

Scazonta mittit ad Apollinarem. 25

Apollinarem conueni meum, Scazon.
Et, si uacabit, nec molestus accedas.
Hoc qualecunq; cuius aliqua pars ipse est,
Dabis: hoc facetum carmen imbuant aures.
Si te receptum fronte uideris tota,
Noto rogabis ut fauore sustentet.
Quanto mearum scis amore mugarum
Flagret: nec ipse plus amare te possum.

Contra malignos esse si cupis tutus,
Apollinarem conueni meum, Scazon.

In Aprum à se occisum. 26

Tuscæ glandis aper populator, & ilice multa
Iam piger, Aetolæ fama secunda feræ,
Quem meus intrauit splendenti cuspide culter,
Præda iaces nostris inuidiosa focis.
Pinguescant madidi læto nidore penates,
Flagret & excisa festa culina iugo.
Sed coquus ingentem piperis consumet acerum,
Addet & arcano mista Falerna garo.
Ad Dominum redeas: noster te non capit ignis
Conturbator aper, nullius esurio.

Ad Fuscum. 27

Sic Tiburtinæ crescat tibi silua Dianæ,
Et properet cæsum sæpe redire nemus:
Nec Tarentinis Pallas tua, Fusce, trapetis
Cædat, & immodici dent bona musta lacus:
Sic fora mirentur, sic te pallatia laudent,
Excolat & geminas plurima palma fores:
Otiædum medius præstat tibi parua December
Excipe. sed certa quos legis aure, iocos.
Scire libet uerum: res est hæc ardua: sed tu
Quod tibi uis dici, dicere, Fusce, potes.

Ad Testilum puerum. 28

Testile, Victoris tormentum dulce Voconi,
Quo nemo est toto notior orbe puer:
Sic etiam positis formosius amere capillis,
Et placeat uati nulla puella tuo:

Pauli sper domini doctos sepone libellos,
Carmina Victori dum lego pauca tuo.
Et Mecœnati Maro cùm cantaret Alexim,
Nota tamen Marsi fusca Melænis erat.

In Cæliam. 29

Das Catis, das Germanis, das Cælia Dacis:
Nec Cilicum sternis, Cappadocumq; toros.
Et tibi de Pharia Memphiticus urbe sututor
Nauigat à rubris & niger Indus aquis.
Nec recutitorum fugis inguina Iudæorum:
Nec te Sarmatico transit Alanus equo.
Qua ratione facis, cùm sis Romana puella,
Quòd Romana tibi mentula nulla placet?

Ad Regulum. 30

Raucæ cortis aues, & oua matrum,
Et flauas medio uapore Chias,
Et fœtum querulæ rudem capellæ,
Nec iam frigoribus pares oliuas,
Et canum gelidis olus pruinis
De nostro tibi rure missa credis.
O quàm, Regule, diligenter erras.
Nil nostri, nisi me, ferunt agelli.
Quicquid uillicus Vmber, aut colonus,
Aut Tusci tibi, Tusculi'ue mittunt,
Aut rus marmore tertio notatum,
Id tota mihi nascitur Suburra.

Ad Atticum. 31

Attice, facundæ renouas qui nomina gentis,
Nec sinis ingentem conticuisse domum:

Te pia Cecropiæ comitatur turba Minervæ:
Te secreta quies, te sophos omnis amat.
At iuuenes alios fractla colit aure magister:
Et rapit immeritas sordidus unctor opes.
Non pila, non sollis, non te paganica thermis
Præparat, aut nudi stipitis ictus hebes:
Rara nec iniecto ceromate brachia tendis:
Non harpasta uagus pulueulenta rapis.
Sed curris niueas tantum prope Virginis undas:
Aut ubi Sidonio taurus amore calet.
Per uarias artes, omnis quibus area seruit,
Ludere cum liceat, currere pigritia est.

In Cinnam. 32

Sordidior cœno cum sit toga, calceus autem
Candidior prima sit tibi, Cinna, niue:
Deiecto quid inepte pedes perfundis amictu?
Collige Cinna togam: calceus ecce perit.

Ad Seuerum. 33

Quo possit fieri modo, Seuere,
Vt uir pessimus omnium Charinus
Vnam rem bene fecerit, requiris:
Dicam, sed citò. quid Nerone peius?
Quid thermis melius Neronianis?
Non deest protinus ecce de malignis,
Qui sic rancidulo loquatur ore.
Vt quid tu domini, Deiq; nostri
Præfers muneribus Neronianas?
Thermas præfero balneis cinædi.

In Matronam. 34

Inguina succinctus nigra tibi seruus aluta
Stat: quoties calidis tota foueris aquis.
Sed meus (ut de me taceam) Lecania seruus
Tudæum nulla sub cute pondus habet.
Sed nudi tecum iuuenesq; senesq; lauantur.
An sola est serui mentula nera tui?
Ecquid fœmineos sequeris, matrona, recessus?
Secretusq; tua, cunne, lauaris aqua?

Ad Stellam. 35

Cùm pluuias, madidumq; Iouem perferre negaret,
Et rudis hybernis uilla nataret aquis,
Plurima quæ posset subitos effundere nimbos,
Muneribus uenit tegula missa tuis.
Horridus ecce sonat Boreæ stridore December:
Stella tegis uillam, non tegis agricolam?

Ad Castricum, de Theta. 36

Nosti mortiferum quæstoris, Castrice, signum?
Est operæ pretium discere theta nouum.
Exprimeret quoties rorantem frigore nasum,
Letalem iugulo infferat esse notam.
Turpis ab inuiso pendebat stiria naso,
Cum staret madida fauce December atrox.
Collegæ tenuere manus: quid plura requiris?
Emungi misero, Castrice, non licuit.

De Polyphemo. 37

Tantus es, & talis nostri Polypheme Seueri,
Vt te mirari posset & ipse Cyclops.
Sed nec Scylla minus. quod si fera monstra duorũ

Iunxeris, alterius fiet uterq; timor.

De Cæno. 38

Discursus uarios, uagumq; mane,
Et fastus, & aue potentiorum
Cùm perferre, patiq; iam negaret,
Cœpit fingere Cælius podagram.
Quam dum uult nimis approbare ueram,
Et sanas limit, obligatq; plantas,
Inceditq; gradu laborioso,
(Quantum cura potest, & ars doloris!)
Desit fingere Cælius podagram.

Epitaphium patris Hetrusci. 39

Hic iacet ille senex Augusta notus in aula,
Pectore non humili passus utrumq; deum:
Natorum pietas sanctis quem coniugis umbris
Miscuit: Elysium possidet umbra nemus.
Occidit illa prior uiridi fraudata iuuenta:
Hic propè ter senas uidit olympiadas.
Sed festinatis raptum te credidit annis,
Aspexit lacrymas quisquis, Hetrusce, tuas.

Ad Sempronium Tuccam. 40

Cosmicos esse tibi Semproni Tucca uideris.
Cosmica Semproni tam mala, quàm bona sunt.

Ad Castricum. 41

Muneribus cupiat si quis contendere tecum,
Audeat hic etiam, Castrice, carminibus.
Nos tenues in utroq; sumus, uinciq; parati:
Inde sopor nobis, & placet alta quies.
Tam mala cur igitur dederim tibi carmina, quæris?
Alcinoo

Alcinoo nullum poma dedisse putas?

In Cinnam. 42

Primam est, ut præstes, si quid te, Cinna, rogabo:
Illud deinde sequens, ut citò, Cinna, neges.
Diligo præstantem: non odi, Cinna, negantem.
Sed tu nec præstas, nec citò, Cinna, negas.

Ad Ouidium. 43

Maximus ille tuus, Ouidi: Cæsonius hic est,
Cuius adhuc uultum uiuidia cera tenet.
Hunc Nero damnauit: sed tu damnare Neronem
Ausus es, & profugi, non tua, fata sequi.
Aequora per Scyllæ magnus comes exulis isti,
Qui modò noluerat, Consulis ire comes.
Si uictura meis mandantur nomina chartis,
Et fas est cineri me superesse meo:
Audiet hæc præsens, uenturaq; turba, fuisse
Illi te, Senecæ quod fuit ille suo.

Ad eundem. 44

Facundi Senecæ potens amicus,
Charo proximus, aut prior Sereno,
Hic est Maximus ille, quem frequenti
Felix littera pagina salutat.
Hunc tu per Siculas secutus undas,
O nullis Ouidi tacende linguis,
Spreuisti domini furentis iras.
Miretur Pyladen suum uetustas,
Hæsit qui comes exuli parenti.
Quis discrimina comparet duorum?
Hæsisti comes exuli Neronis.

Ad

Ad Priscum. 45

Commendare tuũ dum uis mihi carmine munus,
Mæonioq; cupis doctius ore loqui,
Excrucias multis pariter me, teq; diebus:
Et tua de nostro, Prisce, Thalia placet.
Diuitibus poteris Musas, elegosq; sonantes
Mittere: pauperibus munera pexa dato.

Ad Licinium. 46

Doctorum, Licini celeberrime, summe uirorum,
Cuius prisca graues lingua reduxit auos,
Redderis heu quanto fatorum munere nobis,
Gustata Lethes penè remissus aqua.
Perdiderant iam uota metum, securaq; flebat
Tristitia, & lacrymis iamq; peractus eras:
Non tulit inuidiam taciti regnator Auerni,
Et raptas fatis reddidit ipse colos.
Scis igitur, quantas hominum mors falsa querelas
Mouerit: & frueris posteritate tua.
Viue uelut rapto, fugitiuaq; gaudia carpe:
Perdiderit nullum uita reuersa diem.

De Annio. 47

Cùm mensas habeat ferè ducentas,
Pro mensis habet Annius ministros.
Transcurrunt gabatæ, uolantq; lances.
Has uobis epulas habete lauti.
Nos offendimur ambulante cœna.

Ad Seuerum. 48

Parua suburbani munuscula mittimus horti:
Faucibus oua tuis, poma, Seuere, gulæ.

Ad fontem Hiantidos. 49

Fons dominæ, regina loci, quo gaudet Hiantis,
Gloria conspicuæ, deliciumq; domus:
Cùm tua tot niueis ornetur ripa ministris,
Et Ganymedæo luceat unda choro:
Quid facit Alcides lymua sacratus in ista?
Tam uicina tibi cur tenet antra Deus?
Numquid Nympharum notos obseruat amores?
Tam multi pariter ne rapiantur Hylæ?

Ad Vrbicum. 50

Mercari nostras si te piget, Vrbice, nugas:
Et lasciua tamen carmina nosse libet:
Pompeium queras (& nosti forsitan) Auctum:
Victoris prima Martis in æde sedet.
Iure madens, uarioq; togæ limatus in usu:
Non lector meus hic, Vrbice, sed liber est.
Sic tenet absentis nostros, cantatq; libellos,
Vt pereat chartis littera nulla meis.
Denique: si uellet, poterat scripsisse uideri:
Sed famæ mauult ille fauere meæ.
Hunc licet à decima (nec enim satis ante uacabit)
Sollicites: capiet cœnula parua duos.
Ille leget, bibe tu: nolis licet, ille sonabit:
Et cùm, Iam satis est, dixeris, ille leget.

Ad Auctum. 51

Gratũ est, q̃ Celeri nostros legis, Aucte, libellos:
Si tamen & Celerem quod legis, Aucte, iuuat.
Ille meas gentes, & Celtas texit Iberos:
Nec fuit in nostro certior orbe fides.

Maior me tanti reuerentia turbat: & aures
Non auditoris, iudicis esse puto.

In Vmbrum. 52

Omnia misisti mihi Saturnalibus Vmber,
Munera, contulerant quæ tibi quinq; dies.
Bissenos triplices, & dentiscalpia septem.
His comes accessit spongia, mappa, calix,
Semodiusq; faba cum uimine Picenarum,
Et Laletanæ nigra lagœna sapæ.
Paruaq; cum canis uenerunt coctana prunis,
Et Libycæ fici pondere testa grauis.
Vix puto triginta nummorum tota fuisse
Munera, quæ grandes octo tulere Syri.
Quanto commodius nullo mihi ferre labore,
Argenti potuit pondera quinq; puer!

In Nasidianum. 53

Semper mane mihi de me mera somnia narras,
Quæ moueant animum, sollicitentq; meum.
Iam prior ad sæcem, sed & hæc uindemia uenit,
Exorat noctes dum mihi saga tuas.
Consumpsi salsasq; molas, & turis aceruos:
Decreuere greges, dum cadit agna frequens.
Non porcus, non cortis aues, non oua supersunt.
Aut uigila, aut dormi, Nasidiane, tibi.

In Chrestum. 54

Nulli munera, Chreste, si remittis,
Nec nobis dederis, remiseris q;,
Credam te satis esse liberalem.
Sed si reddis Apicio, Lupoq;,

Et Gallo, Titioq;, Gellioq;:
Linguas, non mihi (nam proba, & pusilla est)
Sed quæ de Solymis uenit perustis
Damnatam modò mentulam tributis.

Ad Rabirium. 55

Astra, polumq; tua cepisti mente, Rabiri,
Parrhasiam mira qui struis arte domum.
Phidiaco si digna Ioui dare templa parauit,
Has petat a nostro Pisa tonante manus.

De Achilla. 56

Castora, de Polluce Gabinia fecit Achillam.
Pyxagathos fuerat, nunc erit Hippodamus.

Ad Gallam. 57

Iam sex, aut septem nupsisti, Galla, cinædis,
Dum coma te nimium, pexaq; barba iuuat.
Deinde experta latus, madidoq; similima loro
Inguina, nec lassa flare coacta manu.
Deseris imbelles thalamos, mollemq; maritum:
Rursus & in similes decidis usq; toros.
Quære aliquem Curios semper, Fabiosq; loquentem,
Hirsutum, & dura rusticitate trucem.
Inuenies: sed habet tristis quoq; turba cinædos.
Difficile est uero nubere, Galla, uiro.

De Cæciliano. 58

Non cœnat sine apro noster, Tite, Cæcilianus.
Bellum conuiuam Cæcilianus habet.

Ad Iouem. 59

Tarpeiæ uenerande rector aulæ,
Quem saluo duce credimus Tonantem,

Cum

Cùm uotis sibi quisq; te fatiget,
Et poscat dare quæ dei potestis:
Nil pro me mihi Iuppiter petenti,
Ne succensueris, uelut superbo.
Te pro Cæsare debeo rogare:
Pro me debeo Cæsarem rogare.

Ad Cæsarem Domitianum. 60

Abstulerat totam temerarius institor urbem:
Inq; suo nullum limine limen erat.
Iussisti tenues, Germanice, crescere uicos:
Et modò quæ fuerat semita facta uia est.
Nulla catenatis pila est præcincta lagœnis:
Nec Prætor medio cogitur ire luto.
Stringitur in densa nec cæca nouacula turba:
Occupat haud totas nigra popina uias.
Tonsor, caupo, coquus, lanius sua limina seruant.
Nunc Roma est, nuper magna taberna fuit.

In Amillum. 61

Recluſis foribus grandes præcidis, Amille:
Et te deprendi, cùm facis ista, cupis,
Ne quid liberti narrent, seruiq; paterni,
Et notet obliqua garrulitate cliens.
Non pædicari se qui testatur, Amille,
Illud sæpe facit, quod sine teste facit.

De Silio. 62

Perpetui nunquam moritura uolumina Sili
Qui legis, & Latia carmina digna toga,
Pierios tantùm uati placuisse recessus
Credis, & Aoniæ bacchica serta comæ?
Sacra

Sacra cothurnati non attigit antè Maronis,
Implenit magni quàm Ciceronis opus.
Hunc miratur adhuc centum grauis hasta uirorum,
Hunc loquitur grato plurimus ore cliens.
Postquam bissenis ingentem fascibus annum
Rexerat, asserto qui sacer orbe fuit,
Emeritos Musis, & Phœbo tradidit annos:
Proq; suo celebrat nunc Helicona foro.

In Cinnamum. 63

Qui tonsor fueras tota notissimus urbe,
Et post hæc, dominæ munere factus eques:
Sicanias urbes, Aetnæaq; regna petisti
Cinname, cùm fugeres tristia iura fori.
Quæ nunc arte graues tolerabis inutilis annos?
Quid facit infelix, & fugitiua quies?
Non rhetor: non grammaticus, ludiue magister,
Non Cynicus, non tu Stoicus esse potes.
Vendere nec uocem Siculis, plausumq; theatris.
Quod superest, iterum, Cinname, tonsor eris.

In Gargilianum. 64

Lustre bis decimæ numerantem frigora brumæ
Conterit una tribus, Gargiliane, foris.
Ah miser, & demens, uiginti litigat annis
Quisquam, cui uinci, Gargiliane, licet?

De Labieno. 65

Hæredem Fabius Labienum ex asse reliquit.
Plus meruisse tamen se Labienus ait.

In Philænim. 66

Pædicat pueros tribas Philænis,

Et tentigine ſæuior mariti
Vndenas uorat in die puellas.
Harpaſto quoq; ſubligata ludit,
Et flaueſcit aphe: grauesq; draucos
Alterno facili rotat lacerto.
Et putri lutulenta de palæſtra
Vnčti uerbere uapulat magiſtri.
Nec cœnat prius, aut recumbit antè,
Quàm ſeptem uomuit meros deunces:
Ad quos fas ſibi tunc putat reuerti,
Cùm coliphia ſexdecim comedit.
Poſt hæc omnia cùm libidinatur,
Non ſellat: putat hoc parum uirile:
Sed planè medias uorat puellas.
Dij mentem tibi dent tuam, Philæni,
Cunnum lingere, quæ putas uirile.

Ad Rufum. 67

Commendare meas, Inſtanti Ruſe, Camœnas
Parce precor ſocero, ſeria forſan amat.
Quòd ſi laſciuos admittit & ille libellos,
Hæc ego uel Curio, Fabricioq; legam.

De Theophila, ad Canium. 68

Hæc eſt illa tibi promiſſa Theophila, Cani,
Cuius Cecropia pectora uoce madent.
Hanc ſibi iure petat magni ſenis altus in hortis:
Nec minus eſſe ſuam Stoica turba uelit.
Viuet opus quodcunq; per iſtas miſeris aures:
Tam non fœmineum, nec populare ſapit.
Non tua Panthenis nimium ſe præferat illi,
Quam

Quamuis Pierio ſit bene nota choro.
Carmina fingentem Sappho laudauit amatrix.
Caſtior hæc, & non doctior illa fuit.

In Philænim. 69

Ipſarum tribadum tribas Philæni
Rectè, quam futuis, uocas amicam.

De Familia ficoſa. 70

Ficoſa eſt uxor ficoſius & ipſe maritus,
Filia ficoſa eſt, & gener, atq; ſocer.
Nec diſpenſator, nec uillicus ulcere turpi,
Nec rigidus foſſor, ſed nec arator eget.
Cùm ſint ficoſi pariter iuuenesq; ſenesq;,
Res mira eſt, ficos non habet unus ager.

Ad Paulum. 71

Gratus ſic tibi, Paule, ſic December,
Nec uani triplices, breuesq; mappæ,
Nec turis ueniant leues ſelibræ.
Sed lances ferat, aut ſcyphos auorum,
Aut grandis reus, aut potens amicus:
Seu quod te potius iuuat, capitq;,
Sic uincas Noniumq;, Publiumq;
Mandris, & uitreo latrone cluſos:
Sic palmam tibi de trigone nudo
Vnčtæ det fauor arbiter coronæ,
Nec laudet Polybi magis ſiniſtras:
Si quiſquam mea dixerit malignus,
Airo carmina quæ madent ueneno,
Vt uocem mihi commodes patronam.
Et quantum poteris ſed uſq; clames,

Non scripsit meus ista Martialis.

Ad Maximum. 72

Esquilijs domus est, domus est tibi colle Dianæ,
Et tua patritius culmina uicus habet.
Hinc uiduæ Cybeles, illinc sacraria Vestæ,
Inde nouum, ueterem prospicis inde Iouem.
Dic, ubi conueniam: dic, qua te parte requiram.
Quisquis ubiq; habitat, maxime nusquā habitat.

Ad Mercurium. 73

Cyllenes, cœliq; decus facunde minister,
Aurea cui torto uirga draconе uiret,
Sic tibi lasciui non desit copia furti,
Siue cupis Paphien, seu Ganymede cales:
Maternæq; sacris ornentur frondibus idus,
Et senior parca mole prematur auus:
Hunc semper Norbana diem cum coniuge charo
Læta colat primis quo coiere toris.
Hic pius antistes sophiæ sua dona ministrat:
Hic te ture uocat, fidus & ipse Iouі.

In Anum deformem. 74

Vis futui gratis, cùm sis deformis, anusq;:
Res perridicula est: uis dare, nec dare uis.

Ad Philomusum. 75

Quòd te diripiunt potentiores
Per conuiuia, porticus, theatra,
Et tecum, quoties ita incidisti,
Gestari iuuat, & iuuat lauari:
Nolito nimium tibi placere,
Delectas, Philomuse, non amaris.

In Tuccam. 76

Exigis, ut nostros donem tibi, Tucca, libellos.
Non faciam: nam uis uendere, non legere.

In Papilum. 77

Cùm Saxetani ponatur cauda lacerti,
Et bene si cœnas, conchis inuncta tibi est:
Sumen, aprum, leporem, boletos, ostrea, mullos
Mittis, habes nec cor, Papile, nec genium.

Ad Seuerum. 78

Potaui modò Consulare uinum.
Quæris quam uetus, atq; liberale?
Ipso Consule conditum: sed ipse,
Qui ponebat, erat, Seuere, Consul.

Ad Faustinum. 79

Quatenus Odrysios iam pax Romana triones
Temperat, & tetricæ conticuere tubæ,
Hunc Marcellino poteris, Faustine, libellum
Mittere: iam chartis, iam uacat ille iocis.
Sed si parua tui manuscula quæris amici
Commendare, ferat carmina nostra puer,
Non qualis Geticæ satiatus lacte iuuencæ
Sarmatica gelido ludit in amne rota:
Sed Mitylenæi roscus mangonis ephebus.
Vel non cæsus adhuc matre iubente Lacon.
At tibi captiuo famulus mittetur ab Istro,
Qui Tyburtinas pascere possit oues.

Ad Lausum. 80

Triginta toto mala sunt epigrammata libro.
Si totidem bona sunt, Lause liber bonus est.

De Menophilo. 81

Menophili penem tam grandis fibula uestit,
Vt sit comœdis omnibus una satis.
Hunc ego credidẽ (nam sæpe lauamur in unum)
Sollicitum uoci parcere, Flacce, suæ.
Dum ludit media, populo spectante, palæstra,
Delapsa est misero fibula, Verpus erat.

De Eutrapelo. 82

Eutrapelus tonsor dum circuit ora Luperci,
Expungitq; genas, altera barba subit.

Ad Librum. 83

Dum mea Cæcilio formatur imago Secundo,
Spirat & arguta picta tabella manu,
I Liber ad Geticam Peucen, Istrumq; tacentem,
Hæc loca perdomitis gentibus ille tenet.
Parua dabis charo, sed dulcia dona sodali:
Certior in nostro carmine uultus erit.
Casibus hic nullis, nullis delebilis annis
Viuet, Appellæum cùm morietur opus.

Ad Sabellum. 84

Quòd non insulsè scribis tetrasticha quædam,
Districha quòd bellè pauca, Sabelle, facis,
Laudo, nec admiror. facilè est epigrammata bellè
Scribere, sed librum scribere, difficile est.

In Sextum. 85

Ad natalitias dapes uocabar,
Essem cùm tibi, Sexte, non amicus.
Quid factum est, rogo, quid repentè factum,
Post tot pignora nostra, post tot annos,
Quòd

Quòd sum præteritus uetus sodalis?
Sed causam scio. nulla uenit a me
Argenti tibi libra pustulati,
Nec leuis toga, nec rudes lacernæ.
Non est sportula quæ negotiatur.
Poscis munera, Sexte, non amicos.
Iam dices mihi, uapulet uocator.

De se. 86

Si meus aurita gaudet lagopode Flaccus,
Si fruitur tristi Canius Aethiope,
Publius exiguæ si flagrat amore catellæ,
Si Cronius simílem cercopithecon amat,
Delectat Marium si pernicíosus ichneumon,
Pica salutatrix si tibi, Lause, placet,
Si gelidum collo nectit Glacilla draconem,
Luscíniæ tumulum si Theleſina dedit:
Blanda cupidinei cur non amet ora Labycæ,
Qui uidet hæc dominis monstra placere suis?

De suis libris, ad Lausum. 87

Fertur habere meos, si uera est fama, libellos
Inter delicias pulchra Vienna suas.
Me legit omnis ibi senior, iuuenisq;, puerq;,
Et coram tetrico casta puella uiro.
Hoc ego maluerim, quàm si mea carmina cantent,
Qui Nilum ex ipso protinus ore bibunt,
Quam meus Hispano si me Tagus impleat auro,
Pascat & Hybla meas, pascat Hymettos apes.
Non nihil ergo sumus, nec blandæ murmure linguæ
Decipimur. credam iam puto, Lause, tibi.

Ad Rosam. 88

Felix Rosa, mollibusq; sertis
Nostri cinge comas Apollinaris.
Quas tu nectere candidas, sed olim,
(Sic te semper amet Venus,) memento.

Ad Creticum, de Mathone. 89

Iactat inæqualem Matho me fecisse libellum.
Si uerum est, laudat carmina nostra Matho.
Æquales scribit libros Caluinus, & Vmber.
Æqualis liber est, Cretice, qui malus est.

Ad Iuuenalem. 90

De nostro facunde tibi Iuuenalis agello
Saturnalitias mittimus ecce nuces.
Cætera lasciuis donauit poma puellis
Mentula custodis luxuriosa Dei.

In Baccharam. 91

Si quid opus fuerit, scis me non esse rogandum,
Bis nobis dicis Bacchara, terq; die.
Appellat rigida tristis me uoce Secundus:
Audis, sed nescis, Bacchara, quid sit opus.
Pensio te coram petitur clareq;, palamq;:
Audis sed nescis, Bacchara, quid sit opus.
Esse queror gelidasq; mihi, tritasq; lacernas?
Audis, sed nescis, Bacchara, quid sit opus.
Hoc opus est, subito fias ut sidere mutus,
Dicere ne possis, Bacchara, quid sit opus.

Ad Narniam. 92

Narnia, sulphureo quam gurgite candidus amnis
Circuit ancipiti uix adeunda iugo,

Quid

Quid tam sæpe meum nobis abducere Quintum
Te iuuat, & lenta detinuisse mora?
Quid Nomentani causam mihi perdis agelli,
Propter uicinum qui pretiosus erat?
Sed iam parce mihi, nec abutere Narnia Quinto:
Perpetuo liceat sic tibi ponte frui.

De Papilo. 93

Vnguentum fuerat, quod onyx modò parua gerebat:
Olfecit postquam Papilus, ecce garum est.

In Linum. 94

Bruma est, & riget horridus December:
Audes tu tamen osculo niuali
Omnes obuius hinc, & hinc tenere,
Et totam, Line, basiare Romam.
Quid possis grauiusq; sæuiusq;
Percussus facere, atq; uerberatus?
Hoc me frigore basiet nec uxor,
Blandis filia nec rudis labellis.
Sed tu dulcior, elegantiorq;,
Cuius liuida naribus caninis
Dependet glacies, rigetq; barba,
Qualem forcipibus metit supinis
Tonsor Cinyphio Cilix marito.
Centum occurrere malo cunnilingis:
Et gallum timeo minus recentem.
Quare si tibi sensus est, pudorq;,
Hybernas, Line, basiationes
In mensem, rogo, differas Aprilem.

Epitaphium Vrbici Pueri. 95

Conditus hic ego sum Basi dolor Vrbicus infans
Cui genus, & nomen maxima Roma dedit.
Sex mihi de prima deerant tricteride menses,
Ruperunt tetricæ cùm mala pensa Deæ.
Quid species, quid lingua mihi, quid profuit ætas
Da lacrymas tumulo, qui legis ista, meo:
Sic ad Letheas, nisi Nestore serior, undas
Non eat optabis quem superesse tibi.

Ad librum suum. 96

Nosti si bene Cæsium, libelle,
Montanæ decus Vmbriæ Sabinum,
Auli municipem mei Pudentis,
Illi tu dabis hæc uel occupato.
Instent mille licet, premantq; curæ,
Nostris carminibus tamen uacabit.
Nam me diligit ille, proximumq;
Turni nobilibus leget libellis.
O quantum mihi nominis paratur!
O quæ gloria! quam frequens amator!
Te conuiuia, te fori sonabit,
Aedes, compita, porticus, taberna.
Vni mitteris, omnibus legêris.

Ad Castorem. 97

Omnia, Castor, emis: sic fiet, ut omnia uendas.

Ad Crispinum. 98

Sic placidum uideas semper, Crispine Tonantem,
Nec te Roma minus, quàm tua Memphis amet:
Carmina Parrhasia si nostra legentur in aula,
(Nanq;

(Nanq; solent sacra Cæsaris aure frui)
Dicere de nobis, ut lector candidus, aude,
Temporibus præstat non nihil iste tuis:
Nec Marso nimium minor est, doctoq; Catullo,
Hoc satis est ipsis, cætera mando Deo.

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATON LIBER VIII.

IMPERATORI *Domitiano Cæsari Augusto, Germanico, Dacio, Valerius Martialis* salutẽ. *Omnes quidẽ libelli mei, Domine, quibus tu famam, id est uitam, dedisti, tibi supplicant: & puto, propter hoc legẽtur. Hic tamen, qui operis nostri Octauus inscribitur, occasione pietatis frequentius fruitur. Minus itaq; ingenio laborandum fuit, in cuius locum materia successerat. Quam quidem subinde aliqua iocorum mistura uariare tentauimus: ne cœlesti uerecundiæ tuæ laudes suas, quæ facilius te fatigare possunt, quàm nos satiare, omnes uersus ingererent. Quamuis autem epigrammata seuerissimis quoq;, & supremæ fortunæ uiris ita scripta sint, ut nimiam uerborũ licentiam affectasse uideantur: ego tamen illis non permisi, tam lasciuè loqui, quàm solent. Cùm pars libri & maior, & melior ad maiestatem sacri nominis, cui allegata sit, meminerit, non, nisi religiosa pu-*

rificæ

rificatione lustratus, accedere ad templa debere
Quod ut custoditurum me lecturi sciant, in ipso li-
belli huius limine, profiteri breuissimo placuit epi-
grammate.

Ad librum suum. 1

Laurigeros Domini liber intrature penates,
Disce uerecundo sanctius ore loqui.
Nuda recede Venus: non est tuus iste libellus.
Tu mihi, tu Pallas Cæsariana ueni.

Ad Ianum. 2

Pastorum genitor, parensq; Ianus
Victorem modo cùm uideret Istri,
Tot uultus sibi non satis putauit,
Optauitq; oculos habere plures:
Et lingua pariter locutus omni
Terrarum domino, Deoq; rerum
Promisit Pyliam quater senectam.
Addas Iane tuam pater, rogamus.

Ad Musam. 3

Quiq; satis fuerant, uel sex, septemq; libelli,
Et nimium: quid adhuc ludere, Musa, iuuat?
Sit pudor, & finis. Iam plus nihil addere nobis
Fama potest: teritur noster ubiq; liber.
Et cùm rupta situ, Messalæ saxa iacebunt,
Altaq; cùm Licini marmora puluis erunt,
Me tamen ora legent, & secum plurimus hospes
Ad patrias sedes carmina nostra feret.
Finieram: cùm sic rest ondit nona sororum,
Cui coma, & unguento sordida uestis erat:

Tu'ne

Tu'ne potes dulces, ingrate relinquere nugas?
Dic mihi, quid melius desidiosus ages?
An iuuat ad tragicos soccum transferre cothurnos,
Aspera uel paribus bella tonare modis:
Perlegat ut tumidus rauca te uoce magister,
Oderit & grandis uirgo, bonusq; puer?
Scribant ista graues nimium, nimiumq; seueri,
Quos media miseros nocte lucerna uidet.
At tu Romano lepidos sale tinge libellos:
Agnoscat mores Roma, legatq; suos.
Angusta cantare licet uidearis auena?
Dum tua multorum uincat auena tubam.

Ad Cæsarem Domitianum. 4

Quantus Io Latias mundi conuentus ad aras
Suscipit, & soluit pro duce uota suo?
Nam non hæc hominũ, Germanice, gaudia tantum:
Sed faciunt ipsi nunc puto sacra Dei.

Ad Macrum. 5

Dum donas, Macer, annulos puellis,
Desisti, Macer, annulos habere.

In Eutum. 6

Archetypis uetuli nihil est odiosius Eucti.
Ficta Saguntino cymbia mala luto.
Argenti furiosa sui cùm stemmata narrat
Garrulus, & uerbis mucida uina facit.
Laomedonteæ fuerant hæc pocula mensæ:
Ferret ut hæc, muros struxit Apollo lyra.
Hoc cratere ferox commisit prælia Rhœtus
Cum Lapythis: pugna debile cernis opus.

Hi

Hi duo longæuo censentur Nestore fundi:
Pollice de Pylio trita columba nitet.
Hic Scyphus est, in quo misceri iussit amicis
Largius Aeacides, & bibit ipse merum.
Hac propinauit Bitiæ pulcherrima Dido
In patera, Phrygio cùm data cœna uiro est.
Miratus fueris cum prisca toreumata multum,
In Priami cyathis Asbyanacta bibes.

In Cinnam. 7

Hoc agere est causas, hoc dicere, Cinna diserte,
Horis Cinnæ decem dicere uerba nouem?
Sed modò clepsydras ingenti uoce petisti
Quattuor. ô quantum, Cinna, tacere potes!

Ad Ianum. 8

Principium des, Iane, licet uelocibus annis,
Et reuoces multu secula longa tuo.
Te primum pia tura rogent, te uoce salutent,
Purpura te felix, te colat omnis honos:
Tu tamen hoc mauis, Latiæ quod contigit urbi,
Mense tuo reducem, Iane, uidere Deum.

Ad Quintum. 9

Soluere dodrantem nuper tibi, Quinte, uolebat
Lippus Hylas: luscus nult dare dimidium.
Accipe quamprimum: breuis est occasio lucri.
Si fuerit cæcus, nil tibi soluet Hylas.

De Basso. 10

Emit lacernas millibus decem Bassus
Tyrias, coloris optimi, lucrifecit.
Adeò bene emit? inquis. imò non soluit.

Ad Cæsarem Domitianum. 11

Peruenisse tuam iam te scit Rhenus in urbem:
Nam populi uoces audit & ille tui.
Sarmaticas etiam gentes, Istrumq; Getasq;
Lætitiæ clamor terruit ipse nouæ,
Dum te longa sacro uenerantur gaudia circo,
Nemo quater missos currere sensit equos.
Nullum Roma ducem, nec te, sic, Cæsar, amauit:
Te quoq; iam non plus, ut uelit ipsa, potest.

Ad Priscum. 12

Vxorem quare locupletem ducere nolim,
Quæritis? uxori nubere nolo meæ.
Inferior matrona suo sit, Prisce, marito:
Non aliter fiunt fœmina uirq; pares.

Ad Gargilianum. 13

Morio dictus erat: uiginti millibus emi.
Redde mihi numos, Gargiliane: sapit.

In crudelem amicum. 14

Pallida ne Cilicum timeant pomaria brumam,
Mordeat & tenerum fortior aura nemus,
Hybernis obiecta Notis specularia puros
Admittunt soles, & sine face diem.
At mihi cella datur, non tota clausa fenestra,
In qua nec Boreas ipse manere uelit.
Sic habitare iubes ueterem crudelis amicum?
Arboris ergo tuæ tutior hospes ero.

Ad Domitianum. 15

Dum noua Pannonici narratur gloria belli,
Omnis & ad reducem dum litat ora Iouem,

Dat populus, dat gratus eques, dat tuta senatus,
Et ditant Latias tertia dona tribus.
Hos quoq; secretos memorabit Roma triumphos:
Nec minor ista tuæ laurea pacis erit.
Quid tibi de sancta credis pietate tuorum?
Principis est uirtus maxima, nosse suos.

In Ciperum. 16

Pistor qui fueras diu, Cipere,
Nunc causas agis, & ducenta quæris:
Sed consumis, & usq; mutuaris.
A pistore, Cipere, non recedis:
Et panem facis, & facis farinam.

Ad Sextum. 17

Egi, Sexte tuam pactus duo millia causam.
Misisti nummos quot mihi? mille. quid est?
Narrasti nihil, inquis, & à te prodita causa est.
Tanto plus debes, Sexte, quòd erubui.

Ad Cirinium. 18

Sic tua, Cirini, promas epigrammata uulgo,
Vt mecum possis, uel prior ipse legi.
Sed tibi tantus inest ueteris respectus amici,
Charior ut mea sit, quàm tua fama tibi.
Sic Maro nec Calabri tentauit carmina Flacci,
Pindaricos posset cùm superare modos.
Et Vario cessit Romani laude cothurni,
Cùm posset tragico fortius ore loqui.
Aurũ, & opes, & rura frequens donabit amicus,
Qui uelit ingenio cedere, rarus erit.

De Cinna. 19

Pauper nideri, Cinna uult: & est pauper.

Ad Varum. 20

Cùm facias uersus nulla non luce ducentos,
Vare, nihil recitas: non sapis, atq; sapis.

Ad Luciferum. 21

Phosphore redde diem: quid gaudia nostra moraris?
Cæsare uenturo, Phosphore, redde diem.
Roma rogat. placidi numquid te pigra Bootæ
Plaustra uehunt, lento quòd nimis igne uenis?
Lædæo poteras abducere Cyllaron astro:
Ipse suo cedet nunc tibi Castor equo.
Quid cupidũ Titana tenes? iã Xanthus, et Aethon
Frena uolunt: nigilat Memnonis alma parens.
Tarda tamen nitidæ non cedunt sidera luci:
Et cupit Ausonium luna uidere ducem.
Iam, Cæsar, uel nocte ueni: sint astra licebit,
Non deerit populo te ueniente, dies.

In Gallicum. 22

Inuitas ad aprum: ponis mihi, Gallice, porcum.
Hybrida sum: si das, Gallice, uerba mihi.

Ad Rusticum. 23

Esse tibi uideor sæuus, nimiumq; guloſus,
Qui propter cœnam, Rustice, cædo cocum?
Si lcuis ista tibi flagrorum causa uidetur,
Ex quauis causa uapulet ergo cocus?

Ad Cæsarem Domitianum. 24

Siquid sortè petam timido graciliq; libello,
Improba non fuerit si mea charta, dato.

Et si non dederis, Cæsar permitte rogari:
Offendunt nunquam tura, precesq; Iouem.
Qui fingit sacros auro, uel marmore uultus,
Non facit ille Deos: qui rogat, ille facit.

In Oppianum. 25

Vidisti semel, Oppiane, tantum
Aegrum me male: sæpe te uidebo.

Ad Cæsarem Domitianum. 26

Non tot in Eois timuit Gangeticus aruis
Raptor, in Hyrcano qui fugit albus equo,
Quot tua Roma nouas uidit, Germanice, tigres,
Delicias potuit nec numerare suas.
Vicit Erythræos tua, Cæsar, arena triumphos,
Et uictoris opes, diuitiasq; Dei.
Nam cùm captiuos ageret sub curribus Indos,
Contentus gemina tigride Bacchus erat.

Ad Gaurum. 27

Munera qui tibi dat locupleti, Gaure, seniq;
Si sapis, & sentis, hic tibi ait, morere.

De Partheniana toga. 28

Dic toga facundi gratum mihi munus amici,
Esse uelis cuius fama, decusq; gregis?
Appula Ledæi tibi floruit herba Phalanthi,
Quâ saturat Calabris culta Galesus aquis?
An Tartessiacus stabuli nutritor Iberi
Bætis in Hesperia te quoq; lanit aqua?
An tua multifidum numerauit lana Timauum,
Quem prius astrifero Cyllarus ore bibit?
Te nec Amyclæo decuit linere nenemo:

Nec Miletus erat uellere digna tuo.
Lilia tu uincis, nec adhuc dilapsa ligustra,
Et Tyburtino monte quod albet ebur.
Spartanus tibi cedet olor, Paphiæq; columbæ:
Cedet Erythræis eruta gemma uadis.
Sed licet hæc primis niuibus sint æmula dona,
Non sunt Parthenio candidiora suo.
Non ego prætulerim Babylonica picta superbè
Texta, Semiramia quæ uariantur acu.
Non Athamantæo potius me mirer in auro,
Æolium dones si mihi, Phryxe, decus.
O quantos risus pariter spectata mouebit
Trita Palatina uestra lacerna toga!

De distichis. 29

Districha qui scribit, puto uult breuitate placere,
Quid prodest breuitas, dic mihi, si liber est?

De spectaculo Scæuolæ. 30

Qui nunc Cæsareæ lusus spectantur arenæ,
Temporibus Bruti gloria summa fuit.
Aspicis, ut teneat flammas, pœnaq; fruatur
Fortis, & attonito regnet in igne manus!
Ipse sui spectator adest, & nobile dextræ
Fumus amat: totis pascitur illa focis.
Quid nisi rapta foret nolenti pœna, parabat?
Sæuior in laxos ire sinistra focos.
Scire piget post tale decus, quid fecerit antè:
Quam uidi, satis est hanc mihi nosse manum.

In Dentonem. 31

Nescio quid de te non bellè, Dento, fateris,

Coniuge qui ducta iura paterna petis.
Sed iam supplicibus dominum lassare libellis
Desine, & in patriam serus ab urbe redi.
Nam dum tu longè, deserta uxore, diuq;
Tres quæris natos, quattuor inuenies.

De columba Aretullæ. 32

Æra per tacitum delapsa sedentis in ipsos
Fluxit Aretullæ blanda columba sinus.
Luserat hoc casus, nisi inobseruata maneret,
Permissaq; sibi nollet abire fuga.
Si meliora piæ fas est sperare sorori,
Et dominum mundi flectere uota ualent:
Hæc à Sardois tibi forsitan exulis oris,
Fratre reuersuro, nuntia uênit auis.

Ad Paulum, de Phiala. 33

De prætoritia solium mihi, Paule, corona
Mittis: & hoc phialæ nomen habere iubes.
Hæc fuerat nuper nebula tibi pegma perunctum,
Pallida quam rubri diluit unda croci?
An magis æstuti derasa est ungue ministri
Bractea, de fulcro quam reor esse tuo?
Illa potest culicem longè sentire uolantem,
Et minimi penna papilionis agi.
Exiguæ uolitat suspensa uapore lucernæ,
Et leuiter fuso rumpitur icta mero.
Hoc linitur sputo Iani cariota Calendis,
Quam fert cum paruo sordidus asse cliens.
Lenta minus gracili crescunt colocasia filo:
Plena magis nimio lilia sole cadunt.

Nec

Nec uaga tam tenui discurrat aranea tela:
Tam leue nec bombyx pendulus urget opus.
Crassior in facie uetulæ stat creta Fabullæ:
Crassior offensæ bulla tumescit aquæ.
Fortior intortos seruat uesica capillos,
Et mutat Latias spuma Batana comas.
Hac cute Ledæo uestitur pullus in ouo:
Talia lunata splenia fronte sedent.
Quid tibi cùm phiala, ligulam cùm mittere posses?
Mittere cùm posses uel cochleare mihi?
Magna nimis loquimur: cochleâ cũ mittere posses,
Deniq; cùm posses mittere Paule nihil.

In Iactatorem. 34

Archetypum Myos argentum te dicis habere,
Quod sine te factũ est, hoc magis archetypum est.

Ad Pessimos coniuges. 35

Cùm sitis similes, paresq; uita,
Vxor pessima, pessimus maritus:
Miror, non bene conuenire uobis.

Ad Cæsarem Domitianum. 36

Regia pyramidum, Cæsar, miracula ride.
Iam tacet Eoum barbara Memphis opus.
Pars quota Parrhasiæ labor est Mareoticus aulæ?
Clarius in toto nil uidet orbe dies.
Septenos pariter credas assurgere montes:
Thessalicum breuior Pelion Ossa tulit.
Aethera sic intra, nitidis ut conditus astris
Inferiore tonet nube serenus apex.
Et prius arcano satietur lumine Phœbi,

Nascentis Circe quàm uidet ora patris,
Hæc, Auguste, tamen, quæ uertice sydera pulsat,
Par domus est cœlo: sed minor est domino.

Ad Polycarmum. 37

Quid Caietano reddis, Polycarme, tabellas,
Millia te centum non tribuisse putas?
Debuit hæc, inquis. Tibi habe, Polycarme, tabellas:
Et Caietano millia crede duo.

Ad Meliorem. 38

Qui præstat pietate patrimoi
Sensuro bona liberalitatis.
Captet forsitan, aut uicem reposcat.
At si quis dare nomini relicto
Posti manes, tumulumq; perfecuret,
Quærit quid, nisi parcius dolere?
Refert sis bonus, an uelis uideri.
Præstas hoc, Melior sciente fama,
Qui solennibus anxius sepulti
Nomen non sinis interire Blæsi:
Et de munifica profusus arca
Ad natalitium diem colendum
Scribarum memori, piaq; turbæ
Quod donas facis ipse Blæsianum.
Hoc longum, tibi uita dum manebit,
Hoc & post cineres erit tributum.

Ad Domitianum. 39

Qui Pallatinæ caperet conuiuia mensæ,
Ambrosiasq; dapes, non erat ante locus,
Hic haurire decet sacrum, Germanice, nectar,
Et

Et Ganymedæa pocula mista manu.
Esse uelis, oro, seruus conuiua Tonantis.
At tu si properas Iuppiter, ipse ueni.

Ad Priapum. 40

Non horti, neq; palmitis beati,
Sed rari nemoris, Priape, custos,
Ex quo natus es, & potes renasci,
Furaces moneo, manus repellas.
Et syluam domini focis reserues.
Si defecerit hoc, & ipse lignum es.

Ad Faustinum. 41

Tristis Athenagoras non misit munera nobis,
Quæ medio brumæ mittere mense solet.
An sit Athenagoras tristis, Faustine uidebo:
Me certè tristem fecit Athenagoras.

Ad Mathonem. 42

Si te Sportula maior ad beatos
Non corruperit, ut solet, licebit
De nostro, Matho, centies laueris.

In Fabium, & Chrestillam. 43

Effert uxores Fabius, Chrestilla maritos:
Funereamq; toris quassat uterq; facem.
Victores committe, Venus: quos iste manebit
Exitus, una duos ut Libitina ferat.

Ad Titullum. 44

Titulle, moneo, uiue semper: hoc serum est.
Sub pædagogo cœperis licet, serum est.
At tu miser, Titulle, nec senex uiuis:
Sed omne limen conteris salutator,

Et manè ſudas urbis oſculis udus,
Foroq; triplici ſparſus ante equos omneis,
Aedemq; Martis, & coloſſon Auguſti
Curris per omnes tertias, quintasq;.
Rape, congere, auſer, poſside: relinquendum eſt.
Superba denſis arca palleat numis,
Centum explicentur paginæ Calendarum:
Iurabit hæres, te nihil reliquiſſe.
Supraq; plutcum te iacente, uel ſaxum,
Fartus papyro dum tibi torus creſcit,
Flentes ſuperbus baſiabit eunuchos,
Tuoq; triſtis filius (uelis, nolis)
Cum concubino nocte dormiet prima.

Ad Flaccum. 45

Priſcus ab Aetnæis mihi, Flacce, Terentius oris
Redditur: hanc lucem lactea gemma notet.
Defluat, & lento ſplendeſcat turbida limo
Amphora centeno Conſule facta minor.
Continget nox quando meis tam candida menſis?
Tam iuſto dabitur quando calere mero?
Cùm te Flacce mihi reddet Cythereïa Cypros,
Luxuriæ fiet tam bona cauſa meæ.

Ad Ceſtum. 46

Quãta tua eſt probitas, quãta eſt præſtãtia formæ,
Ceſte puer, puero caſtior Hippolyto!
Te ſecum Diana uelit, doceatq; natare:
Te Cybele ſecum mallet habere Phryga.
Tu Ganymedæo poteras ſuccedere lecto:
Securus domino baſia ſola dares.

Felix

Felix quæ tenerum uexabit ſponſa maritum,
Et quæ te faciet prima puella uirum.

In uarie ſe tondentem. 47

Pars maxillarum tonſa eſt tibi, pars tibi raſa eſt,
Pars uulſa eſt, unum quis putet eſſe caput?

De Abolla Criſpini. 48

Neſcit cui dederit Tyriam Criſpinus Abollam,
Dum mutat cultus, induiturq; togam.
Quiſqs habes, humeris ſua munera redde, precamur.
Non hoc Criſpinus te, ſed Abolla rogat.
Non quicunq; capit ſaturatas murice ueſtes:
Nec niſi delicijs conuenit iſte color.
Si te præda iuuat, fœdiq; inſania lucri,
Quò poſſis melius fallere, ſume togam.

De Aſpro. 49

Formoſam plane, ſed cæcus diligit Aſper.
Plus ergo, ut res eſt, quam uidet, Aſper amat.

Ad Cæſarem Domitianum. 50

Quanta Gigantei memoratur menſa triumphi,
Quantaq; nox ſuperis omnibus illa fuit,
Qua bonus accubuit genitor cum plebe deorum,
Et licuit Faunis poſcere uina Iouem:
Tanta tuas celebrant, Cæſar, conuiuia laurus:
Exhilarent ipſos gaudia noſtra deos.
Veſcitur omnis eques tecum, populusq;, patresq;:
Et capit ambroſias cum duce Roma dapes.
Grandia pollicitis quanto maiora dediſti!
Promiſſa eſt nobis ſportula, recta data eſt.

De Phiala Rufi. 50

Quis labor in Phiala? docti Myos? an'ne Myronis
Mentoris hæc manus eſt? an Polyclete tua?
Liueſcit nulla caligine fuſca, nec odit
Exploratores nubila maſſa focos.
Vera minus flauo radiant electra metallo,
Et nimium felix puſtula uincit ebur.
Materiæ non cedit opus: ſic alligat orbem,
Plurima cùm tota lampade Luna nitet.
Stat caper Æolio Thebani uellere Phryxi
Cultus: ab hoc malles uecta fuiſſe ſoror.
Hunc nec Cinyphius tonſor uiolauerit: & tu
Ipſe tua paſci uite Lyæe uelis.
Terga premit pecoris geminis Amor aureus alis
Palladius tenero lotos ab ore ſonat.
Sic Methymnæo gauiſus Arione delphin
Languida non tacitum per freta uexit onus,
Imbuat egregium digno mihi nectare munus,
Non grege de domini, ſed tua, Cæſte, manus.
Cæſte decus menſæ, miſce Setina: uidetur
Ipſe puer nobis, ipſe ſitire caper.
Det numerum cyathis Inſtantis littera Rufi.
Autor enim tanti muneris ille fuit.
Si Telethuſa uenit, promiſſaq; gaudia portat,
Seruabor dominæ, Rufe, triente tuo.
Si dubia eſt, ſeptunce trahar, ſi fallit amantem,
Vt iugulem curas, nomen utrunq; bibam.

Ad Ceditianum. 51

Tonſorem puerum, ſed arte talem,
Qualis nec thalamis fuit Neronis,
Druſorum cui contigere barbæ,
Æquandas ſemel in genas rogatus
Ruſo Ceditiane, commodaui.
Dum iuſſus repetit pilos eoſdem,
Cenſura ſpeculi manum regente,
Expungitq; cutem, facitq; longam
Detonſis epaphæreſim capillis:
Barbatus mihi tonſor eſt reuerſus.

In Catulam. 52

Formoſiſſima quæ fuere, uel ſunt,
Sed uiliſſima quæ fuere, uel ſunt:
O quam te fieri, Catulla, uellem
Formoſam minus, aut magis pudicam!

Ad Cæſarem Domitianum. 53

Magna licet toties tribuas, maiora daturus
Dona, ducum uictor, uictor & ipſe tui:
Diligeris populo, non propter præmia, Cæſar,
Propter te populus præmia, Cæſar, amat.

Ad eundem, de Leone. 54

Auditur quantum Maßyla per auia murmur,
Innumero quoties ſylua Leone furit,
Pallidus attonitos ad plena mapalia paſtor
Cùm reuocat tauros, & ſine mente pecus:
Tantus in Auſonia fremuit modò terror arena,
Quis non eſſe gregem crederet? unus erat:
Sed cuius tremerent ipſi quoq; iura leones,
Cui diadema daret marmore picta Nomas.
O quàtum per colla decus! quem ſpargit honorem,

Aut

Aurea lunatæ cùm ſtetit unda iubæ!
Grandia quam decuit latum uenabula pectus!
Quantaq; de magna gaudia morte tulit!
Vnde tuis Libye tam felix gloria ſyluis?
A Cybeles nunquid uenerat ille iugis?
An magis Herculeo, Germanice, miſit ab aſtro
Hanc tibi uel frater, uel pater ipſe feram?

Ad Flaccum. 55

Temporibus noſtris ætas cùm cedat auorum,
Creuerit & maior cum duce Roma ſuo:
Ingenium ſacri miraris abeſſe Maronis,
Nec quenquam tanta bella ſonare tuba.
Sint Mecœnates, non deerunt, Flacce, Marones:
Virgiliumq; tibi uel tua rura dabunt.
Ingera perdiderat miſeræ uicina Cremonæ,
Flebat & abductas Tityrus æger oues:
Riſit Tuſcus eques, paupertatemq; malignam
Reppulit, & celeri iuſſit abire fuga.
Accipe diuitias, & natum maximus eſto:
Tu licet & noſtrum, dixit, Alexin ames.
Aſtabat domini menſis pulcherrimus ille,
Marmorea fundens nigra Falerna manu:
Et libata dabat roſeis carcheſia labris,
Quæ poterant ipſum ſollicitare Iouem.
Excidit attonito pinguis Galatea poëtæ,
Theſtylis & rubras meſtibus uſta genas.
Protinus Italiam concepit, & Arma, uirumq;
Qui modo uix culicem fleuerat ore rudi.
Quid Varios, Marſoſq; loquar, dicataq; uatum

Nomi

Nomina, magnus erit quos numerare labor?
Ergo ero Virgilius, ſi munera Mecœnatis
Des mihi? Virgilius non ero, Marcus ero.

De Picente. 56

Treis habuit dentes, pariter quos expuit omnes,
Ad tumulum Picens dum ſedet ipſe ſuum:
Collegitq; ſinu fragmenta nouiſſima fracti
Oris, & aggeſta contumulauit humo.
Oſſa licet quondam defuncti non legat hæres:
Hoc ſibi iam Picens præſtitit officium.

In Artemidorum. 57

Cùm tibi tam craſſæ ſint, Artemidore, lacernæ,
Poſſum te Sagarim iure uocare meum.

In Luſcum furem. 58

Aſpicis hunc uno contentum lumine, cuius
Lippa ſub attrita fronte lacuna patet:
Ne contemne caput, nihil eſt furacius illo.
Non fuit Autolyci tam piceata manus.
Hunc tu conſilium cautus uitare memento:
Tunc furit, atq; oculo luſcus utroq; uidet.
Pocula ſolliciti perdunt, ligulaſq; miniſtri:
Et latet in tepido plurima mappa ſinu.
Lapſa nec à cubito ſubducere pallia neſcit:
Et tectus lenis ſæpe duabus abit.
Nec dormitantem uernam fraudare lucerna
Erubuit fallax, ardeat illa licet.
Si nihil inuaſit, puerum tunc arte doloſa
Circuit, & ſoleas furripit ipſe ſuas.

In

In Claudiam. 59

Summa Palatini poteras æquare Colossi,
Si fieres brevior, Claudia sesquipede.

De Charino, ad Severum. 60

Liuet Charinus, rumpitur, furit, plorat,
Et querit altos, unde pendeat, ramos,
Non iam quòd orbe cantor, & legor toto,
Nec umbilicis quòd decorus, & cedro
Spargor per omnes, Roma quas tenet, gentes:
Sed quòd sub urbe rus habemus æstivum,
Vehimurq; mulis non, ut antè, conductis.
Quid imprecabor, ô Severe, liventi?
Hoc opto, mulas habeat, & suburbanum.

De Picente. 61

Scribit in aversa Picens epigrammata charta:
Et dolet, averso quòd facit illa Deo.

De Aulo. 62

Thestylon Aulus amat, sed nec minùs ardet Alexin
Forsitan & nostrum sic Hyacinthon amat.
I nunc, & dubita, vates an diligat ipsos.
Delicias vatum cùm meus Aulus amet.

In Clytum. 63

Vt poscas, Clyte, munus, exigasq;,
Vno nasceris oclies in anno:
Et solas puto, tresve, quattuorve
Non natalitias habes Calendas.
Sit vultus tibi lævior licebit
Tritis littoris aridi lapillis,
Sit moro coma nigrior caduco,

Vincas mollitie tremente plumas
Aut massam modò lactis alligati,
Et talis tumor excitet papillas,
Quales cruda viro puella servat:
Tu nobis Clyte iam senex videris.
Tam multos quis enim fuisse credat
Natales Priamive, Nestoris ve?
Sit tandem pudor, & modus rapinis.
Quòd si ludis adhuc, semelq; nasci
Vno iam tibi non sat est in anno,
Natum te, Clyte, nec semel putabo.

Ad Domitianum. 64

Hic ubi Fortunæ reducis fulgentia latè
Templa nitent, felix area nuper erat.
Hic stetit Arctoi formosus pulvere belli
Purpureum fundens Cæsar ab ore iubar.
Hic lauro redimita comas, & candida vultu
Roma salutavit: voce, manuq; ducem.
Grande loci meritum testantur & altera dona:
Stat sacer edomitis gentibus arcus ovans.
Hic gemini currus numerant elephanta frequentes:
Sufficit immensis aureus ipse iugis.
Hæc est digna tuis, Germanice, porta triumphis:
Hos aditus urbem Martis habere decet.

De Consulatu Sili. 65

Augusto pia tura, victimasq;
Pro nostro date Silio, Camœnæ.
Bissenos iubet en redire fasces
Nato Consule, nobiliq; virga

Vatis Castaliam domum sonare.
Rerum prima salus, & una Cæsar,
Gaudenti supereſt adhuc, quod optes
Felix purpura, tertiusq; Conſul.
Pompeio dederit licet ſenatus,
Et Cæſar genero ſacros honores,
Quorum pacificus ter ampliauit
Ianus nomina: Silius frequentes
Mauult ſic numerare Conſulatus.

In Cæcilianum. 66

Horas quinq; puer nondum tibi nuntiat: & tu
Iam conuiua mihi, Cæciliane uenis,
Cùm modò diſtulerint raucæ uadimonia charta,
Et Floralitias laſſet arena feras.
Curre age, & illotos reuoca, Calliſte, miniſtros:
Sternantur lecti: Cæciliane ſede.
Caldam poſcis aquam: ſed nondum frigida uenit:
Algetadhuc nudo clauſa culina foco.
Manè ueni potius. nam cur te quinta moretur?
Aut cur non ſerò Cæciliane, uenis?

Ad Entellum. 67

Qui Corcyræi uidit pomaria regis,
Rus, Entelle, tuæ præferat ille domus.
Inuida purpureos urat ne bruma racemos,
Et gelidum Bacchi munera frigus edat,
Condita perſpicua uiuit uindemia gemma,
Et tegitur felix, nec tamen una latet.
Fœmineum lucet ſic per bombycina corpus:
Calculus in nitida ſic numeratur aqua.

Quid non ingenio uoluit natura licere?
Autumnum ſterilis ferre iubetur hyems.

In Vacerram. 68

Miraris ueteres, Vacerra, ſolos,
Nec laudas, niſi mortuos, poëtas.
Ignoſcas petimus, Vacerra: tanti
Non eſt, ut placeam tibi, perire.

De Nerua. 69

Quanta quies placidi, tanta eſt facundia Neruæ:
Sed cohibet uires, ingeniumq; pudor.
Cùm ſiccare ſacrum largo Permiſſida poſſet
Ore, uerecundam maluit eſſe ſitim.
Pieriam tenui frontem redimire corona
Contentus, famæ nec dare uela ſuæ.
Sed tamen hunc noſtri ſcit temporis eſſe Tibullum,
Carmina qui docti nota Neronis habet.

In Poſthumianum. 70

Quattuor argenti libras mihi tempore brumæ
Miſiſti ante annos, Poſthumiane, decem.
Speranti plures (nam ſtare, aut creſcere debent
Munera) uenerunt plus'ue, minus'ue duæ.
Tertius, & quartus multò inferiora tulerunt.
Libra fuit quinto Septitiana quidem.
Beſſalem ad ſcutulam ſexto peruenimus anno.
Poſt hunc in cotyla raſa ſelibra data eſt.
Octauus ligulam miſit ſextante minorem.
Nonus acu leuius uix cochleare tulit.
Quod mittat nobis decimus iam non habet annus.
Quattuor ad libras, Poſthumiane, redi.

Ad Librum suum. 71

Nondum murice cultus, asperoq;
Morsu pumicis aridi politus,
Artanum properas sequi libelle:
Quem pulcherrima iam redire Narbo,
Docti patria Narbo Votieni
Ad leges iubet, annuosq; fasces:
Votis quod paribus tibi petendum est,
Continget locus ille, & hic amicus.
Quam uellem fieri meus libellus!

Ad Instantium. 72

Instanti quo nec syncerior alter habetur
Pectore, nec nitea simplicitate prior:
Si dare uis nostræ aures, animosq; Thaliæ,
Et uictura petis carmina: da, quod amem.
Cynthia te uatem fecit lasciue Properti:
Ingenium Galli pulchra Lycoris erat.
Fama est arguti Nemesis formosa Tibulli:
Lesbia dictauit, docte Catulle, tibi.
Non me Pelignus, nec spernet Mantua uatem.
Si qua Corinna mihi, si quis Alexis erit.

In malum medicum. 73

Hoplomachus nunc es: fueras ophthalmicus ante.
Fecisti medicus, quod facis hoplomachus.

De Gallo Lingono. 74

Dum repetit sera conductos nocte penates
Lingonus a recta, flaminiaq; recens,
Expulit offenso uitiatum pollice talum,
Et iacuit toto corpore fusus humi.

Quid faceret Gallus? qua se ratione moueret?
Ingenti domino seruulus unus erat,
Tam macer, ut minimam posset uix ferre lacernam,
Succurrit misero casus opemq; tulit.
Quattuor inscripti portabant uile cadauer.
Accipit infelix qualia mille rogus.
Hos comes inualidus submissa uoce precatur,
Vt, quocunq; uelint, corpus inane ferant.
Permutatur onus, stipataq; tollitur alte
Grandis in angusta sarcina sandapila.
Hic mihi de multis unus, Lucane, uidetur,
Cui merito dici, mortue Galle, potest.

In Gallicum. 75

Dic uerum mihi, Marce, dic amabo:
Vile est, quod magis audiam libenter:
Sic, & cum recitas tuos libellos,
Et causam quoties agis clientis,
Oras, Gallice, me rogasq; semper.
Durum est me tibi, quod petis, negare.
Vero uerius ergo quid sit audi.
Verum, Gallice, non libenter audis.

Ad Liberum amicum. 76

Liber amicorum dulcissima cura tuorum,
Liber in æterna uiuere digna rosa:
Si sapis, Assyrio semper tibi crinis amomo
Splendeat, & cingant florea serta caput.
Candida nigrescant uetulo crystalla Falerno,
Et caleat blando mollis amore torus.
Qui sic uel medio finitus uixit in æuo,

Longior huic facta est, quam data vita fuit.

De ludis Scellæ, ad Cæsarem. 77

Quos cuperet Phlegræa suos victoria ludos,
Indica quos cuperet pompa, Lycæ tuos,
Fecit Hyperborei celebrator Stella triumphi:
O pudor, ô pietas, & putat esse parum.
Non illi satis est turbato sordidus auro
Hermus, & Hesperio qui sonat orbe, Tagus.
Omnis habet suæ dona diei: nec linea diues
Cessat, & in populum multa rapina cadit.
Nunc venium subitis lasciua nomismata nimbis:
Nunc dat spectatas tessera larga feras.
Nunc implere sinus securos gaudet, & absens
Sortitur dominos, nec laceratur auis.
Quid numerem currus, terdenaq; præmia palmæ,
Quæ dare non semper Consul uterq; solet?
Omnia sed, Cæsar, tanto superantur honore,
Quòd spectatorem te tua laurus habet.

In Fabullam. 78

Omnes aut uetulas habes amicas,
Aut turpes, uetulisq; fœdiores.
Has ducis comites, trahisq; tecum
Per conuiuia, porticus, theatra,
Sic formosa, Fabulla, sic puella es.

Ad Domitianum. 79

Sanctorum nobis miracula reddis auorum,
Nec pateris, Cæsar, secula cana mori:
Cùm ueteres Latiæ ritus renouentur arenæ,
Et pugnet uirtus simpliciore manu.

Sit priscus seruatur honos, te præside, templis:
Et casa tam culto sub Ioue numen habet.
Sic noua dum condis, renouas, Auguste, priora:
Debentur quæ sunt, quæq; fuere tibi.

In Gelliam. 80

Non per mystica sacra Dindymenes,
Nec per Niliacæ bouem iuuencæ,
Nullos deniq; per Deos, Deasq;
Iurat Gellia, sed per uniones.
Hos amplectitur, hos deosculatur:
Hos fratres uocat, & uocat sorores:
Hos natis amat acrius duobus.
His si quo careat misella casu,
Victuram negat esse se nec horam.
Heu quàm bene nunc, Papyriane,
Annei faceret manus Sereni.

Ad Domitianum. 81

Dante tibi turba querulos, Auguste, libellos,
Nos quoq; quòd domino carmina parua damus,
Posse Deum rebus pariter, Musisq; uacare
Scimus, & hæc etiam serta placere tibi.
Per uates, Auguste, tuos nos gloria dulcis,
Nos tua cura prior, deliciæq; sumus.
Non quercus te sola decet, nec laurea Phœbi:
Fiat & ex hedera iuuica nostra tibi.

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATON LIBER NONVS.

AVE mi Toranni, frater chariſſime. Epigrammæ, quod extra ordinem paginarum eſt, ad Stertinium clariſſimum uirũ ſcripſimus, qui imaginem meam ponere in bibliotheca ſua uoluit. De quo ſcribendum tibi putaui: ne ignorares, Auitus iſte quis uocaretur. Vale, & para hoſpitium.

Ad Auitum. 1

Non te celabis, ſublimi pectore uates,
Cui referet ſerus præmia digna cinis.
Hoc tibi ſub noſtra breue carmen imagine uiuit,
Quam non obſcuris iungis Auite uiris.
Ille ego ſum nulli nugarum laude ſecundus:
Quem non miraris, ſed puto, lector, amas.
Maiores maiora ſonent: mihi parua locuto
Sufficit in noſtras ſæpe redire manus.

De templo Flauiæ gentis. 2

Dum Ianus hyemes, Domitianus autumnos,
Auguſtus annus commodabit æſtates,
Dum grande famuli nomen aſſeret Rheni
Germanicarum magna lux Calendarum,
Tarpeia ſummi ſaxa dum patris ſtabunt,
Dum uoce ſupplex, dumq; ture placabit
Matrona diuæ dulce Iuliæ numen,

Manebit altum Flauiæ decus gentis,
Cum ſole, & aſtris, cumq; luce Romana.
Inuicta quicquid condidit manus, cœlum eſt.

In Lupum. 3

Pauper amicitiæ cum ſis Lupe, non es amicæ:
Et queritur de te mentula læſa nihil.
Illa ſiligineis pingueſcit adultera cunnis:
Conuiuam paſcit nigra farina tuum.
Incenſura niues dominæ ſetina liquantur:
Nos bibimus torti pulla uenena cadi.
Empta tibi nox eſt fundis non tota paternis:
Haud ſua deſertus rura ſodalis arat.
Splendet Erythræis perlucida mœcha lapillis:
Ducitur addictus, te ſtuente, cliens.
Octo Syris ſuſſulta datur lectica puellæ:
Nondum ſandapilæ pondus amicus erit.
Inuic, & miſeros Cybele præcide cinædos:
Hæc erat, hæc cultrix mentula digna tuis.

Ad Domitianum. 4

Quantum iam ſuperis, Cæſar, cœloq; dediſti,
Si repetas, & ſi creditor eſſe uelis,
Grandis in ætherio licet auctio fiat Olympo,
Coganturq; Dei uendere, quicquid habent,
Contra habit Atlas, & non erit uncia tota,
Decidat tecum qua pater ipſe Deũm.
Pro Capitolinis quid enim tibi ſoluere templis,
Quid pro Tarpeiæ frondis honore poteſt?
Quid pro culminibus geminis matrona Tonantis?
Pallada præterea res agit illa tuas.

Quid loquar Alcidē, Phœbūq; piosq; Laconas?
Addita quid Latio Flauia templo polo?
Expectes, & sustineas, Auguste, necesse est.
Nam tibi quod soluat non habet arca Iouis.

In Aeschylum. 5

Aureolis futui cùm possit Galla duobus,
Et plusquam futui, si totidem addideris:
Aureolos a te cur accipit, Aeschyle, denos?
Non fellat tanti Galla, quid ergo? tacet.

In Paulam. 6

Nubere uis Prisco, non miror Paula: sapisti.
Ducere te non uult Priscus: & ille sapit.

Ad Domitianum. 7

Tibi summe Rheni domitor, & parens orbis,
Pudice princeps, gratias agunt urbes,
Populiq; habebunt. Parere iam scelus non est.
Non puer auari sectus arte mangonis
Virilitatis damna mœret erepta:
Nec quam superbus computet stipem leno,
Dat prostituto misera mater infanti.
Qui nec cubili fuerat, ante te, quondam
Pudor, esse per te cœpit & lupanari.

In Afrum. 8

Dicere de Libycis reduci tibi gentibus, Afer,
Continuis uolui quinq; diebus aue.
Non uacat, aut dormit dictum bis, terq; reuerso.
Iam satis est: non uis, Afer, auere, uale.

Ad Domitianum. 9

Tanquam parua foret sexus iniuria nostri,
Fœdandos populo prostituisse mares,
Iam curæ lenonis erant, ut ab ubere raptus
Sordida uagitu posceret era puer.
Immatura dabant infandas corpora pœnas,
Non tulit Ausonius talia monstra pater:
Idem qui teneris nuper succurrit ephebis,
Ne faceret steriles sæua libido uiros.
Dilexere prius pueri, iuuenesq; senesq;:
At nunc infantes te quoq;, Cæsar, amant.

Ad Bithynicum. 10

Nil tibi legauit Fabius, Bithynice, cui tu
Annua, si memini, millia sena dabas.
Plus nulli dedit ille: queri, Bithynice, noli.
Annua legauit millia sena tibi.

In Cantharum. 11

Cœnes, Cantharе, cùm foris libenter,
Clamas, & maledicis, & minaris.
Deponas animos truces, monemus:
Liber non potes, & gulosus esse.

De Earino Domitiani. 12

Nomen cum uiolis, rosisq; natum,
Quo pars optima nuncupatur anni,
Hyblam quod sapit, Atticosq; flores,
Quod nidos olet alitis superbæ:
Nomen ne clare dulcius beato,
Quo mallet Cybeles puer uocari,
Et qui pocula temperat Tonanti:
Quid si Parrhasia sones in aula,
Respondent Veneres, Cupidinesq;:

Nomen nobile, molle, delicatum
Versu dicere non rudi uolebam.
Sed tu syllaba contumax repugnas.
Dicunt Earinon tamen poëtæ,
Sed Græci, quibus est nihil negatum:
Et quos ἄρις ἄρις decet sonare.
Nobis non licet esse tam disertis,
Qui Musas colimus seueriores.

De eodem. 13

Si daret autumnus mihi nomen, ὀπωρινὸς essem:
Horrida si brumæ sydera, χειμερινός.
Dictus ab æstiuo θερινὸς mihi mense uocarer.
Tempora cui nomen uerna dedere, quis est?

De eodem. 14

Nomen habes, teneri quod tempora nũcupat anni
Cùm breue Ceropiæ uer populantur apes.
Nomen, Acidalia meruit quod arundine pingi,
Quod Cytherea sua scribere gaudet acu:
Nomen, Erythræis quod littera facta lapillis,
Gemma quod Heliadum pollice trita notet.
Quod penna scribente grues ad sidera tollant,
Quod decet in sola Cæsaris esse domo.

In Fictos amicos. 15

Hunc, quem cœna tibi, quem mẽsa parauit amicum,
Esse putas fidæ pectus amicitiæ?
Aprũ amat, & mullos, & sumẽ, & ostrea nõ te,
Tam bene si cœnem, noster amicus eris.

De Chloë. 16

Inscripsit tumulo septem celebrata uirorum
Se fecisse, Chloë. quid pote simplicius?

De coma Earini. 17

Consilium formæ speculum, dulcesq; capillos
Pergameo posuit dona sacrata Deo.
Ille puer tantæ domino gratissimus aulæ,
Nomine qui signat tempora uerna suo.
Felix, quæ tali censetur munere tellus:
Nec Ganymedeas mallet habere comas.

Ad Aesculapium. 18

Latonæ uenerande nepos, qui mitibus herbis
Parcarum exoras pensa, breuesq; colos:
Hos tibi laudatos dominorum uoce capillos
Ille tuus Latia misit ab urbe puer.
Addidit & nitidum sacratis crinibus orbem,
Quo felix facies iudice tota fuit.
Tu iuuenile decus seruans: ne pulchrior ille
In longa fuerit, quam breuiore coma.

Ad Cæsarem Domitianum. 19

Est mihi, fatq; precor longum, te præside, Cæsar,
Rus minimum: parui sunt & in urbe lares.
Sed de ualle breui, quas det sitientibus hortis,
Cura laboratas antlia tollit aquas.
Sicca domus queritur nullo se rore foueri,
Cum mihi uicino Martia fonte sonet.
Quam dederis nostris Auguste penatibus undam,
Castalis hæc nobis, aut Iouis imber erit.

In Sabellum. 20

Laudas balnea uersibus trecentis
Cœnantis bene Pontici, Sabelle.

Vis

Vis cœnare, Sabelle, non lauari.

Ad Domitianum. 21

Hæc quæ tota patet, tegiturq́; & marmore, et auro,
Infantis domini conscia terra fuit.
Felix, quæ tantis sonuit uagitibus, & quæ
Vidit reptantes, sustinuitq́; manus.
Hìc steterat ueneranda domus, quæ præstitit orbi
Quod Rhodos, aspiserο, quod pia Creta polo.
Cretenses texere Iouem crepitantibus armis,
Semiuiri poterant qualia ferre Phryges.
At te protexit superûm pater: & tibi, Cæsar,
Pro iaculo, & parma, fulmen, & ægis erat.

Ad Auctum. 22

Artemidorus habet puerum: sed uendidit agrum:
Agrum pro puero Calliodorus habet.
Dic, uter ex istis melius rem gesserit, Aucte?
Artemidorus amat, Calliodorus arat.

Ad Pastorem. 23

Credis, ob hoc me, Pastor, opes fortasse rogare,
Propter quod uulgus crassaq́; turba rogat:
Vt Setina meos consumat gleba ligones.
Et sonet innumera compede Tuscus ager:
Vt Mauri Libycis centum sient dentibus orbes,
Et crepet in nostris aurea lamna toris:
Nec labris nisi magna meis crystalla terantur,
Et faciant nigras nostra falerna niues,
Vt Canusinatus nostro Syrus assere suadet,
Et mea sit culto sella cliente frequens:
Accluet ut nostro madidus conuiua ministro.

Quem

Quem permutatum nec Ganymede uelim:
Vt lutulenta linat Tyrias mihi mula lacernas,
Et Massyleum uirga gubernet equum.
Est nihil ex istis: superos, ac sidera testor.
Ergo quid? ut donem, Pastor, & ædificem.

Ad Charum. 24

O cui uirgineo flauescere contigit auro,
Dic ubi palladium sit tibi, Chare, decus?
Aspicis en domini fulgentes marmore uultus?
Venit ad has ultro nostra corona comas.
Albanæ liuere potest pia quercus oliuæ,
Cinxerit inuictum quòd prior illa caput.

Ad eundem. 25.

Quis pallatinos imitatus imagine uultus
Phidiacum Latio marmore uicit ebur?
Hæc mundi facies, hæc sunt Iouis ora sereni.
Sic tonat ille Deus, cùm sine nube tonat.
Non solùm tribuit Pallas tibi, Chare, coronam:
Effigiem domini, quam colis, illa dedit.

In Afrum. 26

Dantem uina tuum quotiès aspeximus Hylum,
Lumine nos, Aser, turbidiore notas.
Quid rogo? quod scelus est, molle spectare ministrũ?
Aspicimus solem, sidera, templa, deos.
Auertam uultus, tanquam mihi pocula Gorgon
Porrigat? atq; oculos, oraq́; nostra tegam?
Tyrus erat Alcides, sed Hylan spectare licebat.
Ludere Mercurio cum Ganymede licet.
Si non his teneros spectet conuiua ministros.

Phineas

Phineas inuites, Afer, & Oedipodas.

De Nerua. 27

Audet facundo qui carmina mittere Neruæ,
Pallia donabit Glaucina Cosme tibi,
Pæstano uiolas & cana ligustra colono,
Hyblæis apibus Corsica mella dabit.
Sed tamen & paruæ nonnulla est gratia Musæ:
Appetitur posito uilis oliua lupo.
Nec tibi sit mirum, modici quòd conscia uatis
Iudicium metuat nostra Thalia tuum.
Ipse tuas etiam ueritus Nero dicitur aures,
Lasciuum iuuenis cùm tibi lusit opus.

In Chrestum. 28

Cùm depilatos, Chreste, colos portes,
Et uulturino mentulam parem collo,
Et prostituis læuius caput culis,
Nec uiuat ullus in tuo pilus cruce,
Purgentq; sæuæ cana labra uolsellæ:
Curios, Camillos, Quintios, Numas, Ancos,
Et quicquid usquam legimus pilosorum
Loqueris sonasq; grandibus minax uerbis,
Et cum hoc theatro seculoq; rixaris.
Occurrit aliquis inter ista draucus, &
Iam pædagogo liberatus, & cuius
Refibulauit turgidum faber penem:
Nutu uocatum ducis, & pudet fari,
Catoniana, Chreste, quod facis, lingua.

Epitaphium Latini. 29

Dulce decus scenæ, ludorum fama, Latinus,

Ille ego sum, plausus, deliciæq; tuæ:
Qui spectatorem potui facisse Catonem,
Soluere qui Curios, Fabricios q; graues.
Sed nihil a nostro sumpsit mea uita theatro:
Et sola tantum scenicus arte feror.
Nec poteram gratus domino sine moribus esse:
Interius mentes inspicit ille Deus.
Vos me laurigeri parasitum dicite Phœbi,
Roma sui famulum dum sciat esse Iouis.

Epitaphium Philænis. 30

Secula Nestoreæ permensa, Philæni, senectæ
Rapta es ad infernas tam citò Diis aquas?
Euboicæ nondum numerabas longa Sibyllæ
Tempora, maior erat mensibus illa tribus.
Heu quæ lingua silet, non illam mille catastæ
Vincebant, nec quæ turba Serapin amat:
Nec matutini cirrata caterua magistri,
Nec quæ Strymonio de grege ripa sonat.
Quæ nunc Thessalico lunam deducere rhombo,
Quæ sciet hos, illos uendere lena toros?
Sit tibi terra leuis, molliq; tegaris arena,
Ne tua non possint eruere ossa canes.

De Rustico Antistio. 31

Cappadocum sæuis Antistius occidit oris
Rusticus. ô tristi crimine terra nocens.
Retulit ossa sinu chari Nigrina mariti,
Et quæsta est longas non satis esse uias.
Cumq; daret sancta tumulis, quibus inuidet, urnã,
Visa sibi est rapto bis uiduata uiro.

De Vebij uoto. 32

Dum comes Arctois hæreret Cæsaris armis
Vebius, hanc Marti pro duce nouit auem.
Luna quater binos non tota peregerat orbes,
Debita poscebat iam sibi uota Deus.
Ipse suas anser lætus properauit ad aras,
Et cecidit sanctis hostia parua focis.
Octo uides patulo pendere nomismata rostro
Alitis? hæc extis condita nuper erant.
Quæ latat argento pro te, non sanguine, Cæsar,
Victima, iam ferro non opus esse docet.

Qualem uelit amicam. 33

Hanc uolo, quæ facilis, quæ pallio lata uagatur.
Hanc uolo, quæ puero iam dedit ante meo.
Hanc uolo, quam redimit totam denarius alter.
Hanc uolo, quæ pariter sufficit una tribus.
Poscentem numos, & grandia uerba sonantem
Posse ideat crassi mentula Burdigali.

Ad Flaccum. 34

Audieris in quo Flacce, balneo plausum,
Morionis illic esse mentulam scito.

In Laudem Domitiani. 35

Iuppiter Idæi risit mendacia busti,
Dum uidet Augusti Flauia templa poli.
Atq; inter mensas largo iam nectare fusus,
Pocula cùm Marti traderet ipse suo,
Respiciens Phœbum pariter, Phœbiq; sororem,
Cum quibus Alcides, & pius Arcas erat,
Gnosia uos, inquit, nobis monumenta dedistis.

Cernite

Cernite quàm plus sit, Cæsaris esse patrem?

In Philomusum. 36

Artibus his semper cœnam, Philomuse, mereris,
Plurima dum fingis, sed quasi uera refers.
Scis quid in Assyria Pacorus dehiberet aula.
Rhenanam numeras, Samaticamq; manum.
Verba ducis Daci Cattis mandata resignas.
Victricem laurum, quam uenit, ante uides.
Scis quoties Pharia madeat Ioue fusca Syene:
Scis quota de Libyco littore puppis eat.
Cuius Iuleæ capiti nascantur oliuæ:
Destinet ætherius cui sua serta pater,
Tolle tuas artes, hodie cœnabis apud me
Hac lege, ut narres nil, Philomuse, noui.

De Ganymede, & Ioue. 37

Viderat Ausonium, posito modò crine ministrum
Phryx puer, alterius gaudia nota Iouis:
Quod tuus ecce suo Cæsar permisit ephebo,
Tu permitte tuo, maxime rector, ait.
Iam mihi prima latet longis lanugo capillis:
Iam tua me ridet Iuno, uocatq; uirum.
Cui pater ætherius, Puer ô dulcissime dixit,
Non ego, quod poscis, res negat ipsa tibi.
Cæsar habet noster similes tibi mille ministros:
Tantaq; sidereos uix capit aula mares.
At tibi si dederit uultus coma tonsa uiriles,
Quis mihi, qui nectar misceat, alter erit?

In Gallam. 38

Cùm sis ipsa domi, mediaq; ornere Suburra,

Fiant absentes & tibi, Galla, comæ:
Nec dentes aliter, quam serica, nocte reponas:
Et lateas centum condita pyxidibus.
Nec tecum facies tua dormiat: inuis illo,
Quod tibi prolatum est, manè supercilio:
Et te nulla mouet cani reuerentia cumni,
Quem potes inter duos iam numerare tuos.
Promittis sexcenta tamen: sed mentula surda est:
Et sit lusca licet, te tamen illa uidet.

Ad Agathinum. 39

Summa licet uelox, Agathine, pericula ludus,
Non tamen efficies, ut tibi parma cadat.
Nolentem sequitur, tenuesq; reuersa per auras
Vel pede, uel tergo, clune, uel ungue sedet.
Lubrica Corycio quamuis sint pulpita nimbo,
Et rapiant celeres uela negata Noti,
Securos pueri neglecta perambulat artus:
Et nocet artifici uentus, & unda nihil.
Vt peccare uelis, cùm feceris omnia, falli
Non potes: arte opus est, ut tibi parma cadat.

De Natali Cæsoniæ. 40

Prima Palatino lux est hæc orta Tonanti,
Optasset Cibele qua peperisse Iouem.
Hac & Santonici genita est Cæsonia Rufi.
Plus debet matri nulla puella suæ.
Lætatur gemina uotorum sorte maritus,
Contigit hunc illi quòd bis amare diem.

De Voto Philænis. 41

Tarpeias Diodorus ad Coronas

Romam cùm peteret, Pharo relicta,
Vouit pro reditu uiri Philænis,
Illam lingeret ut puella simplex.
Quam castæ quoq; diligant Sabinæ.
Dispersa rate tristibus procellis
Mersus fluctibus, obrutusq; ponto
Ad uotum Diodorus enatauit.
O tardus nimis, & piger maritus!
Hoc à littore si puella uotum
Fecisset mea, protinus redissem.

In Ponticum. 42

Pontice, quod nunquam futuis, sed pellice læua
Vteris, & Veneri seruit amica manus,
Hoc nihil esse putas? scelus est, mihi crede, sed ingens,
Quantum uix animo concipis ipse tuo.
Nempe semel futuit generaret Horatius ut tres:
Mars semel, ut geminos Ilia casta daret.
Omnia perdiderat, si masturbatus uterq;
Mandasset manibus gaudia fœda suis.
Ipsum crede tibi naturam dicere rerum,
Illud quod digitis, Pontice, perdis, homo est.

Ad Appollinem. 43

Campis dives Apollo sic murinis,
Sic semper senibus fruare cygnis,
Docte sic tibi seruiant sorores,
Nec Delphis tua mentiatur ulli,
Sic pallatia te colant, amentq;:
Bis senos citò me rogante fasces
Det Stellæ bonus, annuatq; Cæsar.

Felix tunc ego, debitorq; uoti
Cæsurum tibi rusticas ad aras
Ducam cornibus aureis iuuencum.
Nata est hostia, Phœbe: quid moraris?

De statua Herculis. 44

Hic, qui dura sedens porrecto saxa leone
Mitigat exiguo magnus in ære Deus,
Quæq; tulit, spectat resupino sidera uultu,
Cuius læua calet robore, dextra mero:
Non est fama recens, nec nostri gloria cœli:
Nobile Lysippi munus, opusq; uides.
Hoc habuit numen Pellæi mensa tyranni,
Qui citò perdomito uictor in orbe iacet,
Hunc puer ad Libycas iurauerat Annibal aras.
Iusserat hic Syllam ponere regna trucem.
Offensus uariæ tumidis terroribus aulæ
Priuatos gaudet nunc habitare lares.
Viq; fuit quondam placidi conuiua Molorchi.
Sic uoluit docti Vindicis esse Deus.

De eadem statua. 45

Alcidem modò Vindicis rogabam,
Esset cuius opus, laborq; felix.
Risit (nam solet hoc) leuiq; nutu,
Græcè nunquid, ait, poëta nescis?
Inscripta est basis, indicatq; nomen.
Λυσίππου lego, Phidiæ putaui.

Ad Marcellinum. 46

Miles Hyperboreos modò Marcelline triones,
Et Getici tuleris sidera pigra poli,

Ecce Promethææ rupes, & fabula montis
Quàm propè sunt oculis nunc adeunda tuis!
Videris immensis cùm conclamata querelis
Saxa senis, dices, Durior ille fuit.
Et licet hoc addas, Potuit qui talia ferre,
Humanum meritò finxerat ille genus.

In Gellium. 47

Gellius ædificat semper: modò limina ponit:
Nunc foribus claues aptat, emittq; feras.
Nunc has, nunc illas mutat, reficitq; senestras.
Dum tamen ædificet, quidlibet ille facit:
Oranti numos ut dicere possit amico
Vnum illud uerbum Gellius, ædifico.

In Pannicum. 48

Democritos, Zenonas, inexplicitosq; Platonas,
Quicquid & hirsutis squallet imaginibus,
Sic quasi Pythagoræ loqueris successor, & hæres:
Prætendet mento nec tibi barba minor.
Sed quod & hircosis serum est, & turpe pilosis,
In molli rigidum clune libenter habes.
Tu qui sectarum causas, & pondera nosti,
Dic mihi: præcidi, Pannice, dogma quod est?

In Gallicum. 49

Hæredem cùm me partis tibi, Gallice, quartæ
Per tua iurares sacra, caputq; tuum,
Credidimus, (quis enim dammet sua uota libenter?)
Et spem muneribus fouimus usq; datis:
Inter quæ rari Laurentem ponderis aprum
Misimus, Aetola de Calydone putes.

At tu continuò populumq́; patresq́; uocasti.
Ructat adhuc aprum callida Roma meum.
Ipse ego (quis credat?) conuiua nec ultimus hæsi:
Sed nec costa data est, caudáue missa mihi.
De quadrante tuo qui sperem, Gallice? nulla
De nostro nobis uncia uenit apro.

De Partheniana toga. 50

Hæc est illa meis multum cantata libellis,
Quam meus edidicit lector, amatq́; togam.
Partheniana fuit quondam memorabile natis
Munus, in hac ibam conspiciendus eques,
Dum noua, dum nitida fulgebat splendida lana,
Dumq́; erat autoris nomine digna sui.
Nunc anus, & tremulo uix accipienda tribuli,
Quam possis nudam dicere iure tuo.
Quid non longa dies, quid non consumitis anni?
Hæc toga iam non est Partheniana, mea est.

In Gaurum. 51

Ingenium mihi, Gaure, probas sic esse pusillum,
Carmina quòd faciam, quæ breuitate placent.
Consiteor, sed tu bis denis grandia libris
Qui scribis Priami prælia, magnus homo es.
Nos facimus Bruti puerum, nos Lagona iuuum,
Tu magnus luteum, Gaure, gigantа facis.

De Lucano, & Tullo. 52

Quòd semper superos, inuito fratre, rogasti,
Hoc, Lucane, tibi contigit, ante mori.
Inuidet ille tibi: Stygias nam Tullus ad undas
Optabat, quamuis sit minor, ire prior.

Tu colis Elysios: memoris q́; habitator amœni
Esse tuo primum nunc sine fratre cupis.
Et si iam nitidis alternus uenit ab astris,
Pro Polluce, mones Castora, ne redeat.

Ad Quintum. 53

Si credis mihi, Quinte, quod mereris,
Natales Ouidi tuos Apriles,
Vt nostras amo Martias Calendas.
Felix utraq; lux, diesq́; nobis
Signandi melioribus lapillis.
Hic uitam tribuit, sed hic amicum,
Plus dant, Quinte, mihi tuæ Calendæ.

Ad eundem. 54

Natali tibi, Quinte, tuo dare parua uolebam
Munera: tu prohibes: imperiosus homo es.
Parendum est monitis: fiat, quod uterq; iubemus:
Et quod utrumq; iuuat, tu mihi, Quinte, dato.

Ad Cognatum. 55

Si mihi Picena turdus palleret oliua,
Tenderet aut nostras sylua Sabina plagas,
Aut crescente uadis traheretur arundine præda,
Pinguis & implicitas uirga teneret aues:
Chara daret solenne tibi cognatio munus:
Nec frater nobis, nec prior esset auus.
Nunc sturnos inopes, frigillarumq́; querelas
Audit, & arguto passere uernat ager.
Inde salutatus picæ respondet arator:
Hinc propè summa rapax miluus in astra uolat.
Mittimus ergo tibi paruæ munuscula cortis:

Qualia si recipis: sæpe propinquus eris.

Ad Flaccum. 56

Luce propinquorum, qua plurima mittitur ales,
Dum Stellæ turdos, dum tibi Flacce paro,
Succurrit nobis ingens onerosáq; turba,
In qua se primum quisq; meumq; putat.
Demeruisse duos, notum est offendere plures.
Vix tutum: multis mittere dona graue est.
Quæ possim sola ueniani ratione mereborr:
Nec Stellæ turdos, nec tibi, Flacce, dabo.

De Splendophoro. 57

Splendophorꝰ Libycas domini petit armiger urbes.
Quæ puero dones, tela, Cupido, para,
Illa, quibus iuuenes figis, mollesq; puellas.
Sit tamen in tenera leuis & hasta manu.
Loricam, clypeumq; tibi, galeamq; remitto.
Tutus ut inuadat prælia nudus eat.
Non iaculo, non ense fuit, læsiue sagitta,
Cassside dum liber Parthenopæus erat.
Quisquis ab hoc fuerit fixus, morietur amore.
O felix, si quem tam bona fata manent.
Dum puer es, redeas, dum uultus lubricus: & te
Non Libye faciat, sed tua Roma uirum.

In Edilum. 58

Nil est tritius Edili lacernis.
Non anse ueterum Corinthiorum,
Nec crus compede lubricum decenni,
Non rupta recutita colla mule,
Nec quæ Flaminiam secant, salebræ,

Nec qui littoribus nitent lapilli,
Nec Tusca ligo uinea politus,
Nec pallens toga mortua tribulis,
Nec pigri rota quassa mulionis,
Nec rasum cauea latus bisontis,
Nec dens iam senior ferocis apri.
Res una est tamen (ipse non negabit)
Cuius tritior Edili lacernis.

Ad Nympham. 59

Nympha sacri regina lacus, cui grata Sabinus,
Et mansura pio munere templa dedit,
Sic montana tuos semper colat Vmbria fontes,
Nec tua Baianas Sarsina malit aquas:
Excipe sollicitos placidè, mea dona, libellos.
Tu fueris Musis Pegasis unda meis.
Nympharũ templis quisquis sua carmina donat,
Quid fieri libris debeat, ipse monet.

In Mamurram. 60

Inseptis Mamurra diu, multumq; uagatus
Hic, ubi Roma suas aurea uexat opes,
Inspexit molles pueros, oculisq; comedit,
Non hos, quos primæ prostituere case,
Sed quos arcanæ seruant tabulata catastæ,
Et quos non populus, nec mea turba uidet.
Inde satur mensas, & opertos exuit orbes,
Expositumq; alte pingue poposcit ebur.
Et testudineum mensus quater hexaclinon,
Ingemuit citro non satis esse suo.
Consuluit nares, an olerent æra Corinthon:

Culpauit ſtatuas & Polyclete tuas.
Et turbata breui queſtus cryſtallina uitro,
Myrrhina ſignauit ſepoſuitq; decem.
Expendit ueteres calathos, & ſiqua fuerunt
Pocula Mentorea nobilitata manu.
Et uirides pictо gemmas numerauit in auro,
Quicquid & in niuea grandius aure ſonat.
Sardonychas ueros menſas quæſiuit in omnes,
Et pretium magnis fecit iaſpidibus.
Vndecima laſſus cum iam diſcederet hora,
Aſſe duos calices emit, & ipſe tulit.

De corona roſea. 61

Seu tu Pæſtanis genita es ſeu Tyburis aruis,
Seu rabuit tellus Tuſcula flore tuo,
Seu Prænеſtino te uillica legit in horto,
Seu modo Campani gloria ruris eras:
Pulchrior ut noſtro uideare, corona, Sabino,
De Nomentano te pudet eſſe meo.

De Platano Cordubenſi. 62

In Tarteſſiacis domus eſt notiſſima terris,
Quà diues placidum Corduba Bætin amat,
Vellera natiuo pallent ubi flaua metallo,
Et linit Heſperium bractea uina pecus.
Aedibus in mediis totos amplexa penates
Stat platanus denſis Cæſariana comis:
Hoſpitis inuicti poſuit quam dextera felix.
Cœpit & ex illa creſcere uirga manu.
Autorem, dominumq; nemus ſentire uidetur:
Sic uiret, & ramis ſydera celſa petit.

Sæpe

Sæpe ſub hac madidi duſerunt arbore Fauni:
Sæpe ſua hac latuit ruſtica fronde Dryas.
Diumq; fugit ſolos nocturnum Pana per agros,
Terruit & tacitam fiſtula ſera domum,
Atq; oluere lares comeſſatore Lyæo,
Creuit & effuſo letior umbra mero,
Heſternisq; rubens delecta eſt herba coronis,
Atq; ſuas potuit dicere nemo roſas.
O dilecta deis, ô magni Cæſaris arbor,
Ne metuas ferrum, ſacrilegoſq; focos.
Perpetuos ſperare licet tibi frondis honores:
Non Pompeianæ te poſuere manus.

De Philæni. 63

Tinctis murice ueſtibus quòd omni
Et nocte utitur, & die Philænis,
Non eſt ambitioſa, nec ſuperba.
Delectatur odore, non colore.

In Phœbum. 64

Ad cœnam inuitant omnes te, Phœbe, cinædi.
Mentula quem paſcit, non, puto, purus homo eſt.

De ſtatua Domitiani. 65

Herculis in magni uultus deſcendere Cæſar
Dignatus Latiæ dat noua templa uiæ,
Qua Triuiæ nemoroſa petit dum regna uiator,
Octauum domina marmor ab urbe legit.

De eadem ſtatua. 66

Antè colebatis uotis, & ſanguine largo
Maiorem Alciden: nunc minor iſte colit.
Hùc magnas rogat alter opes, rogat alter honores.

Illi

Illi ſecurus uota minora facit.

Ad Herculem, de eadem ſtatua. 67

Alcide Latio nunc agnoſcende Tonanti,
Poſtquàm pulchra Dei Cæſaris ora geris,
Si tibi tunc iſti uultus, habitusq́; fuiſſent,
Ceſſerunt manibus cùm fera monſtra tuis,
Argolico famulum non te ſeruire tyranno
Vidiſſent gentes ſæuaq́; regna pati.
Sed tu iuſſiſſes Euryſtei: nec tibi fallax
Portaſſet Neſſi perfida dona Lychas.
Oetæi ſine lege rogi ſecurus adiſſes
Aſtra patris ſummi, quæ tibi pœna dedit.
Lydia nec dominæ traxiſſes penſa ſuperbæ:
Nec Styga uidiſſes, Tartareumq́; canem.
Nunc tibi Iuno fauet, nunc te tua diligit Hebe.
Nunc, te ſi uideat Nympha, remittet Hylan.

Ad Fabullum. 68

Vxor cùm tibi ſit formoſa, pudica, puella,
Quid tibi natorum iura, Fabulle, trium?
Quod petis à noſtro ſupplex dominoq́;, Deoq́;:
Tu dabis ipſe tibi, ſi potes, arrigere.

In Aeſchylum. 69

Laſciuam tota poſſedi nocte puellam,
Cuius nequitias uincere nemo poteſt.
Feſſus mille modis illud puerile popoſci:
Ante preces totas, primaq́; uerba dedit.
Improbius quiddam ridensq́;, rubensq́; rogaui,
Pollicita eſt nulla luxurioſa mora.
Sed mihi pura fuit: tibi non erit. Aeſchyle, ſi uis,
Accip

Accipere hoc munus conditione mala.

In Magiſtrum ludi. 70

Quid tibi nobiſcum eſt, ludi ſcelerate magiſter,
Inuiſius pueris, urginibusq́; caput?
Nondum criſtati rupere ſilentia galli:
Murmure iam ſæuo, uerberibusq́; tonas.
Tam graue percuſſis incudibus æra reſultant,
Cauſidicum medio cùm ſaber aptat equo.
Mitior in magno clamor furit amphitheatro,
Vincenti parmæ cùm ſua turba fauet.
Vicini ſomnum non tota nocte rogamus:
Nam uigilare leue eſt, peruigilare graue.
Diſcipulos dimitte tuos, uis garrule quantum
Accipis, ut clames, accipere, ut taceas?

In Polycarmum. 71

Cùm futuis Polycarme ſoles in fine cacare.
Cum pædicaris, quid Polycarme facis?

In Cæcilianum. 72

Dixerat, ô mores, ô tempora, Tullius olim,
Sacrilegum ſtruceret cùm Catilina nefas,
Cùm gener, atq; ſocer diris concurreret armis,
Mœſtaq́; ciuili cæde maderet humus.
Cur nunc, ô mores, cur nunc, ô tempora, dicis?
Quod tibi non placeat, Cæciliane, quid eſt?
Nulla ducum feritas, nulla eſt inſania ferri:
Pace frui certa, lætitiaq́; licet.
Non noſtri faciunt, tibi quòd tua tempora ſordent,
Sed faciunt mores, Cæciliane, tui.

De

De leone, & ariete. 73

Massyli leo fama iugi, pecorisq; maritus
Lanigeri, mirum qua posuere fide,
Ipse licet uideas, cauea stabulantur in una,
Et pariter socias carpit uterq; dapes.
Nec fœtu nemorum gaudent, nec mitibus herbis:
Concordem satiat sed rudis agna feram.
Quid meruit terror Nemees, quid portitor Hellen?
Vt niteant celsi lucida signa poli?
Sydera si possent, pecudesq; feræq; mereri,
Hic aries astris, hic leo dignus erat.

Ad Liberum amicum. 74

Liber Amyclæa frontem redimite corona,
Qui quatis Ausonia uerbera Graia manu,
Clausa mihi texto cum prandia uimine mittas,
Cur comitata dapes nulla lagœna uenit?
Atqui digna tuo si nomine munera ferres,
Scis puto debuerint quæ mihi dona dari.

In Sutorem. 75

Dentibus antiquas solitus producere pelles,
Et mordere luto putre, uetusq; solum,
Prænestina tenes desuncti rura patroni,
In quibus indignor si tibi cella fuit.
Rumpis & ardenti maduus crystalla Falerno,
Et pruris domini cum Ganymede tui.
At me litterulas stulti docuere parentes.
Quid cum grammaticis, rhetoribusq; mihi?
Frange leues calamos, & scinde Thalia libellos,
Si dare sutori calceus ista potest.

De effigie Camoni. 76

Effigiem pueri tantum pictura Camoni
Seruat, & infantis prima figura manet.
Florentes nulla signauit imagine uultus,
Dum timet ora pius mutа uidere pater.

De balneo Tuccæ. 77

Non silice duro structilive cemento,
Nec latere cocto, quo Semiramis longam
Babylona cinxit, Tucca balneum fecit,
Sed sirage nemorum, pineaq; compage:
Vt nauigare Tucca balneo possit.
Idem beatas lautus extruit thermas
De marmore omni, quod Charistos inuenit,
Quod Phrygia Synas, Afra quod Nomas mittit,
Et quod uirenti fonte lauit Eurotas.
Sed ligna desunt: subijce balneum thermis.

De effigie Camoni. 78

Hæc sunt illa mei, quæ cernitis, ora Camoni:
Hæc pueri facies, primaq; forma fuit.
Creuerat hic uultus bis denis fortior annis,
Gaudebatq; suas pingere barba genas
Et libata semel summos modò purpura cultus
Sparserat: inuidit de tribus una soror,
Et festinatis incidit stamina pensis.
Absentemq; patri rettulit una rogum.
Sed ne sola tamen puerum pictura loquatur,
Hæc erit in chartis maior imago meis.

De conuiuio Prisci. 79

Quod optimum sit disputat conuiuium.

Facunda Prisci pagina:
Et multa dulci, multa sublimi refert,
Sed cuncta docto pectore.
Quod optimum sit quæritis conuiuium?
In quod chorades non uenit.

Ad Picentinum. 80

Funera post septem nupsit tibi Galla uirorum,
Picentine, sequi uult, puto, Galla uiros.

Ad Domitianum. 81

Oderat antè ducum famulos, turbamq; minorem,
Et pallatinum Roma supercilium.
At nũc tantus amor cunctis, Auguste, tuorũ est,
Vt sit cuiq; suæ cura secunda domus:
Tam placidæ mentes, tanta est reuerentia nostri,
Tam pacata quies, tantus in ore pudor.
Nemo suos (hæc est aulæ natura potentis)
Sed domini mores Cæsarianus habet.

De Gellio. 82

Duxerat esuriens locupletem pauper, anumq;
Vxorem: pascit Gellius, & futuit.

Ad Aulum. 83

Lector, & auditor nostros probat, Aule, libellos:
Sed quidam exactos esse poëta negat.
Non nimium curo: nam cœnæ fercula nostræ
Malim conuiuis, quàm placuisse cocis.

In Cinnam. 84

Dixerat astrologus perituram te citò, Cinna:
Nec puto mentitus dixerat ille mihi,
Nam tu dum metuis, ne quid post fata relinquas,
Hausisti

Hausisti patrias luxuriosus opes.
Bisq; tuum decies, non toto tabuit anno.
Dic mihi, non hoc est, Cinna, perire cito?

Ad Cæsarem Domitianum. 85

Inter tanta tuæ miracula, Cæsar, arenæ,
Quæ uincit ueterum munera clara ducum,
Multum oculi, sed plus aures debere fatentur
Se tibi, quòd spectant, qui recitare solent.

Ad Norbanum. 86

Cùm tua sacrilegos contra, Norbane, furores,
Staret pro domino Cæsare sancta fides:
Hæc ego Pieria ludebam tutus in umbra,
Ille tuæ cultor notus amicitiæ.
Me tibi Vindelicis raptum narrabat in oris,
Nescia nec nostri nominis Arctos erat.
O quoties ueterem non inficiatus amicum
Dixisti, Meus est iste poëta, meus!
Omne tibi nostrum, quod bis trieteride iuncta
Antè dabat lector, nunc dabit autor opus.

De Paulo. 87

Languidior nostri si quando est Paulus Atili,
Non se conuiuis abstinet ille suis.
Tu languore quidem subito fictoq; laboras.
Sed mea porrexit sportula, Paule, pedes.

De filio Silij. 88

Festinata sui gemeret cùm fata Seueri
Silius, Ausonio non semel ore potens,
Cùm grege Pierio mœstus, Phœboq; querebar.
Ipse meum flcui, dixit Apollo, Linon.

Respexitq; suam, quæ stabat proxima fratri
Calliopen: & ait, Tu quoq; nullus habes.
Aspice Tarpeium, Pallatinumq; tonantem:
Læsa nefas Lacheſis læſit utrunq; Iouem.
Numina cùm uideas duris obnoxia fatis,
Inuidia poſſis exonerare Deos.

Ad Lupercum. 89

Septem poſt calices Opimiani
Denſo cùm iaceam triente blæſus,
Affers neſcio quas mihi tabellas:
Et dicis, modò liberum eſſe iuſſi.
Zenas ſeruulus eſt mihi paternus:
Signa. Cras melius, Luperce, fiet.
Nunc ſignat meus annulus lagœnam.

Ad Rufum. 90

Dum me captares, mittebas munera nobis,
Poſtquam cepiſti: das mihi, Ruſe, nihil.
Vt captum teneas, capto quoq; munera mitte:
De cauea fugiat ne malè paſtus aper.

Ad Stellam. 91

Lege nimis dura conuiuam ſcribere uerſus
Cogis, Stella: licet ſcribere nempe malos.

Ad Flaccum. 92

Sic in gramine floreo recliuis,
Quà gemmantibus hinc, & inde riuis
Curua calculus excitatur unda,
Excluſis procul omnibus moleſtis,
Perfundas glaciem triente nigro
Frontem ſutilibus ruber coronis

Si

Sic unì tibi ſit puer cinædus,
Et caſtiſſima pruriat puella:
Infamem nimio calore Cypron
Obſerues, monco, precorq́; Flacce,
Meſſes area cùm teret crepantes,
Et ſului iuba ſeuiet Leonis.
At tu diua Paphi, remitte noſtris
Illæſum iuuenem remitte uotis.
Sic Martis tibi ſeruiant Calendæ,
Et cum thure, meroq́; uictimaq́;
Libetur tibi candidas ad aras
Sella plurima quadra de placenta.

Adulatur Domitiano. 93

Ad cœnam ſi me diuerſa uocaret in aſtra
Hinc inuitatur Cæſaris, inde Iouis:
Aſtra licet propius, Pallatia longius eſſent,
Reſponſa ad ſuperos hæc reuerenda darem:
Quærite qui malit fieri conuiua Tonantis:
Me meus in terris Iuppiter ecce tenet.

Ad Condylum. 94

Quæ mala ſunt domini, quæ ſeruì commoda, neſcis
Condyle, qui ſeruum te gemis eſſe diu.
Dat tibi ſecuros uilis lectiçula ſomnos:
Pernigil in pluma Caius ecce iacet.
Caius à prima tremebundus luce ſalutat
Tot dominos: at tu, Condyle, nec dominum.
Quod debes, Cai redde, inquit Phœbus, & illinc
Cinnamus: hoc dicit, Condyle, nemo tibi.
Tortorem metuis? podagra, chiragraq́;, ſecatur.

Caius, & mallet uerbera mille pati.
Quòd nec manè uomis, nec cunnũ, Condyle, lingis:
Non mauis, quàm ter Caius, esse tuus?

Ad Calatissum puerum. 95

Addere quid cessas, puer, immortale Falernum?
Quadrantem duplica de seniore cado.
Nunc mihi dic, Quis erit, cui te, Calatisse, deorum
Sex iubeo cyathos fundere? Cæsar erit.
Sutilis aptetur decies rosa crinibus: ut sit
Qui posuit, sacræ nobile gentis opus.
Nunc bis quina mihi da basia: fiat ut illud
Nomen, ab Odrysio quod Deus orbe tulit.

De Hippocrate. 96

Santonica medicata dedit mihi pocula uirga:
Os hominis, mulsum me rogat Hippocrates.
Tam stupidus nunquam nec tu, puto, Glauce, fuisti
Χάλκεα donanti χρύσea qui dederas.
Dulce aliquis munus pro munere poscit amaro?
Accipiat, sed si potat in helleboro.

De Athenagora. 97

Alphicus antè fuit, cœpit nunc Olficus esse,
Vxorem postquam duxit, Athenagoras.
Nomen Athenagoræ credis, Callistrate, uerum?
Si scio, dispeream, quis sit Athenagoras.
Sed puto me uerum, Callistrate, dicere nomen:
Non ego, sed uester peccat Athenagoras.

De Herode. 98

Clinicus Herodes trullam subduxerat ægro.
Deprensus dixit, Stulte, quid ergo bibis?

Ad Iulium. 99

Rumpitur inuidia quidam, chariſsime Iuli,
Quòd me Roma legit, rumpitur inuidia.
Rumpitur inuidia, quod turba semper in omni
Monstramur digito, rumpitur inuidia.
Rumpitur inuidia, tribuit quòd Cæsar uterq;
Ius mihi natorum, rumpitur inuidia.
Rumpitur inuidia, quòd rus mihi dulce sub urbe est,
Paruaq; in urbe domus, rumpitur inuidia.
Rumpitur inuidia, quòd sum iucundus amicis,
Quòd conuiua frequens, rumpitur inuidia.
Rumpitur inuidia, quod amamur, quodq; probamur.
Rumpatur, quisquis rumpitur inuidia.

Ad Ouidium. 100

Vindemiarum non ubiq; prouentus
Cessauit, Ouidi: pluuia profluit grandis.
Centum Coranus amphoras aquæ fecit.

Ad Atticum, De M. Antonio. 101

Marcus amat nostras Antonius, Attice, Musas
Charta salutatrix si modò uera refert:
Marcus Palladiæ non inficianda Tolosæ
Gloria, quem genuit pacis amica quies.

Ad Librum. 102

Tu, qui longa potes dispendia ferre uiarum,
Liber absentis pignus amicitiæ.
Vilis eras: fateor, si te nunc mittere tento,
Grande tui pretium muneris autor erit.
Multum crede mihi refert, à fonte bibatur,
Qui fluit, an pigro cùm stupet unda lacu.

In Bassam. 103

Denarijs tribus innitas: & manè togatum
Obseruare iubes atria, Basse, tua:
Deinde hærere tuo lateri, præcedere sellam,
Ad uetulas tecum plus minus ire decem.
Trita quidem nobis togula est, nilisq; putrisq:
Denarijs tamen hanc non emo Basse tribus.

Adulatur Domitiano. 104

Appia, quam simili uenerandus in Hercule Cæsar
Consecrat, Ausoniæ maxima fama uiæ,
Si cupis Alcidæ cognoscere facta priores,
Disce: Libyn domuit: aurea poma tulit:
Peltatam Scythico discinxit Amazona nodo:
Addidit Arcadio terga leonis apro.
Æripidem syluis cerunm, Stymphalidas undis
Abstulit: a Stygia cum cane uenit aqua.
Fœcundam uetuit reparari mortibus Hydram.
Hesperias Tusco lauit in amne boues.
Hæc minor Alcides. Maior quæ gesserit, audi,
Sextus ab Albana quem colit arce lapis.
Asseruit possessa malis Pallatia regnis:
Prima suo gessit pro Ioue bella puer.
Solus Iuleas cum iam retineret habenas,
Tradidit, inq; suo tertius orbe fuit.
Cornua Sarmatici ter perfida contulit Istri:
Sudantem Getica ter niue lauit equum.
Sæpe recusato Parthos duxisse triumpho.
Victor Hyperboreo nomen ab orbe tulit.
Templa Deis, mores populis dedit, otia ferro.
Astra

Astra suis, cœlo sydera, serta Ioui.
Herculeum tantis numen non sufficit actis:
Tarpeio Deus hic commodet ora patri.

Ad Phœbum. 105

Quadringentorum reddis mihi, Phœbe, tabellas,
Centum da potius mutua, Phœbe, mihi.
Quare alium, cui te tam uano munere iactes,
Quod tibi non possum soluere, Phœbe, meum est.

De Geminis fratribus. 106

Quæ noua tam simules genuit tibi, Leda, ministros?
Quæ capta est cygno nupta Lacæna alio?
Dat faciem Pollux Hiero, dat Castor Asillo:
Atq; in utroq; nitet Tyndaris ore soror.
Illa Therapnæis si forma fuisset Amyclis,
Cùm uicere duas dona minora Deas,
Mansisses Helene, Phrygiamq; redisset in urbem
Dardanius gemino cum Ganymede Paris.

M. VAL. MARTIALIS
EPIGRAMMATON
LIBER X.

I.

SINIMIVS uidèor, seraq; coronide longus
Esse liber: legito pauca, libellus ero.
Terq; quaterq; mihi finitur carmine paruo
Pagina facta tibi, quam cupis esse breuem.

Ad Lectorem. 2

Festinata prior decimi mihi cura libelli
Elapsum manibus nunc reuocauit opus.
Nota leges quædam sed lima rasa recenti,
Pars noua maior erit: lector, utriq; faue.
Lector opes nostræ, quæ cùm mihi Roma dedisset,
Nil tibi quod demus maius habemus, ait.
Pigra per hunc fugies ingratæ flumina Lethes,
Et meliore tui parte superstes eris.
Marmora Messalæ findit caprificus, & audax
Dimidios Crispi multio ridet equos.
At chartis nec furta nocent, nec sæcula præsunt:
Solaq; non norunt hæc monumenta mori.

Ad Priscum. 3

Vernaculorum dicta sordidum dentem,
Et fœda lingua probra circulatricis,
Quæ sulfurato nolit empta ramento
Vatiniorum proxeneta fractorum,
Pocta quidam clancularius spargit.
Et uult uideri nostra, credis hoc Prisce.
Voce ut loquatur psittacus coturnicis?
Et concupiscat esse Canus ascaules?
Procul a libellis nigra sit meis fama,
Quos rumor alba gemmeus uehit penna.
Cur ego laborem notus esse tam praue,
Conflare gratis cùm silentium possit?

Ad Lectorem. 4

Qui legis Oedipodem, caligantemq; Thyesten,
Colchidas, & Scyllas, quid nisi monstra legis?

Quid

Quid tibi raptq; Hylas, quid Parthenopeq;, & Atys,
Quid tibi dormitor proderit Endymion?
Exutusue puer pennis labentibus? aut qui
Odit amatrices Hermaphroditus aquas?
Quid te uana iuuant miseræ ludibria chartæ?
Hoc lege, quod possis dicere iure, Meum est.
Non hic Centauros, non Gorgonas, Harpyiasq;
Inuenies: hominem pagina nostra sapit.
Sed non uis, Mamurra, tuos cognoscere mores,
Nec te scire legas Aetia Callimachi.

In maledicum Poëtam. 5

Quisquis stolæue, purpuræue contemptor,
Quos colere debet læsit impio uersu,
Pontes per urbis erret exul, & cliuos,
Interq; raucos ultimus rogatores
Oret caninas panis improbi buccas:
Illi December longus, & madens bruma,
Claususq; fornix triste frigus extendat.
Vocet beatos, clamiteq; felices,
Orciniana qui feruntur in sponda.
Et, cùm suprema fila uenerint horæ,
Diesq; tardus sentiat canum litem,
Abigatq; moto noxias aues panno.
Nec finiantur morte supplicis pœnæ:
Sed nunc seueri sectus Aeaci loris,
Nunc inquieti monte Sisyphi pressus,
Nunc inter undas garruli senis siccus
Delasset omnes fabulas poctarum.
Et cùm fateri Furia iusserit uerum

Prodente clamet conscientia, scripsit.

De aduentu Cæsaris. 6

Felices, quibus urna dedit spectare coruscum
Solibus Arctois, syderibusq; ducem.
Quando erit ille dies, quo cæpus, & arbor, et omnis
Lucebit Latia culta senestra nuru?
Quando morę dulces, longusq; à Cæsare pulvis,
Totaq; Flaminia Roma uidenda uia?
Quando eques, & picti tunica Nilotide Mauri
Ibitis & populi uox erit una, Venit?

Ad Rhenum. 7

Nympharum pater, amniumq; Rhene,
Quicunq; Odrysias bibunt pruinas,
Sic semper liquidis fruaris undis:
Nec te Barbara contumelioſi
Calcatum rota conterat bubulci:
Sic & cornibus aureus receptis,
Et Romanus eas utraq; ripa:
Traianum populis suis, & urbi
Tybris te dominus rogat, remittas.

De Paula. 8

Nubere Paula cupit nobis: ego ducere Paulam
Nolo: anus est, nollem, si magis esset anus.

De se. 9

Vndenis pedibusq; syllabisq;,
Et multo sale, nec tamen proterno,
Notus gentibus ille Martialis,
Et notus populis, quid inuidetis?
Non sum Andremone notior Caballo.

In Paulum. 10

Cùm tu laurigeris annum qui fascibus intras
Manè salutator limina mille teras,
Hic ego quid faciam? quid nobis, Paule, relinquis?
Qui de plebe Numæ, densaq; turba sumus?
Qui me respiciet, dominum, regemq; uocabo?
Hoc tu, sed quanto blandius, ipse facis.
Lecticam, sellamq; sequar? nec ferre recuso:
Per medium pugnas sed prior ire lutum.
Sæpius assurgam recitanti carmina? tu stas.
Et pariter geminas tendis in ora manus.
Quid faciet pauper, cui non licet esse clienti?
Diuisit nostras purpura uestra togas.

In Calliodorum. 11

Nil aliud loqueris, quam Theseą, Peirithoumq;:
Teq; putas Pyladi, Calliodore, parem.
Differeam, si tu Pyladi præstare matellam
Dignus es, aut porcos pascere Peirithoi.
Donauit tamen, inquis, amico mullia quinq;.
Et lotam, ut multum, terq; quaterq; togam.
Quid quòd, nil unquam Pyladi donauit Orestes?
Qui donat, quamuis plurima, plura negat.

Ad Domitium. 12

Æmiliæ gentes, & Apollineas Vercellas,
Et Phaethontei qui petis arua Padi:
Ne uiuam, nisi te, Domiti, permitto libenter,
Grata licet sine te sit mihi nulla dies.
Sed desiderium tanti est, ut messe uel una
Vrbano releues colla perusta iugo.

I precor, & totos auida cute combibe soles,
Quàm formosus eris, dum peregrinus eris?
Et uenies albis non agnoscendus amicis,
Liabitiq; tuas pallida turba genas.
Sed uia quem dederit, rapiet citò Roma colorem,
Niliaco redeas tu licet ore niger.

Ad Tuccam. 13

Cùm cathedralitios portet tibi rheda ministros,
Et Libys in longo puluere sudet eques,
Strataq; non umas cingant triclinia Baias,
Et Thetis unguento palleat umbra tuo,
Candida Setini rumpant crystalla trientes,
Dormiat in pluma nec meliore Venus:
Ad nocturna iaces fastosæ limina mœchæ,
Et madet heu lacrymis ianua surda tuis:
Vrere nec miserum cessant suspiria pectus.
Vis dicam, malè sit cur tibi Tucca? bene est.

In Crispum. 14

Cedere de nostris nulli te dicis amicis.
Sed, sit ut hoc uerum, quid, rogo Crispe, facis?
Mutua cùm peterem sestertia quinq; negasti.
Non caperet numos cùm grauis arca tuos.
Quando fabæ nobis modium farrisq; dedisti,
Cùm tua Niliacus rura colonus aret?
Quãdo breuis gelidæ missa est toga tẽpore brumæ?
Argenti quando missa selibra mihi est?
Nil aliud uideo, quo te credamus amicum,
Quàm quòd me coram pedere, Crispe, soles.

De Apro. 15

Dotatæ uxori cor arundine fixit acuta.
Sed, dum ludit Aper, ludere nouit Aper.

In Caium. 16

Si donare uocas promittere, nec dare, Cai,
Vincam te donis, muneribusq; meis.
Accipe Callaicis quicquid sodit Astur in aruis,
Aurea quicquid habet diuitis unda Tagi,
Quicquid Erythræa niger inuenit Indus in alga,
Quicquid & in nidis unica seruat auis,
Quicquid Agenoreo Tyros improba cogit aheno:
Quicquid habent omnes, accipe, quomodo das.

De Macro, ad Musam. 17

Saturnalitio Macrum fraudare tributo
Frustra Musa cupis: non licet, ipse petit,
Solemneisq; iocos, nec tristia carmina poscit:
Et queritur nugas obticuisse meas.
Mensorum longis sed nunc uacat ipse libellis.
Appia quid facies, si leget ista Macer?

De Mario. 18

Nec uocat ad cœnam Marius, nec munera mittit,
Nec spondet, nec uult credere: sed nec habet.
Turba tamen non deest sterilem quæ curet amicum.
Heu quàm perfatuæ sunt tibi Roma togæ!

Mittit librum suum ad Plinium. 19

Nec doctum satis, & parum seuerum,
Sed non rusticulum nimis libellum
Facundo mea Plinio Thalia
I, perfer: breuis est labor, peracta

Illic Orphea protinus uidebis
Altum uincere tramitem Suburræ,
Vdi uertice lubricum theatri,
Miranteisq; feras, auemq; regis,
Raptum quæ Phryga pertulit Tonanti.
Illic parua tui domus Pedonis
Cælata est aquilæ minore penna.
Sed ne tempore non tuo disertam
Pulses ebria ianuam, uideto.
Totos dat tetricæ dies Mineruæ,
Dum centum studet auribus uirorum
Hoc, quod secula, posteriq; possint
Arpinis quoq; comparare chartis,
Seras tutior ibis ad lucernas.
Hæc hora est tua, dum furit Lyæus,
Cùm regnat rosa, cùm madent capilli,
Tunc me uel rigidi legant Catones.

Ad Manium. 20

Ducit ad auriferas quòd me Salo Celtiber oras,
Pendula quòd patriæ uisere tecta libet,
Tu mihi simplicibus Mani dilectus ab annis,
Et prætextata cultus amicitia,
Tu facis, in terris quo non est alter Iberis
Dulcior, & uero dignus amore magis.
Tecum ego uel sicci Getula mapalia Pœni,
Et poteram Scythicas hospes amare casas.
Si tibi mens eadem, si nostri mutua cura est,
In quocunq; loco Roma duobus erit.

Ad Sextum. 21

Scribere te, quæ uix intelligat ipse Modestus,
Et uix Claranus, quid rogo, Sexte, iuuat?
Non lectore tuis opus est, sed Apolline libris:
Iudice te maior Cinna Marone fuit,
Sic tua laudentur: sanè mea carmina, Sexte,
Grammaticis placeant, & sine grammaticis.

In Philænim. 22

Cur spleniato sæpe prodeam mento,
Alba'ue pictus sana labra cerussa,
Philæni quæris? basiare te nolo.

De M. Antonio. 23

Iam numerat placido felix Antonius æuo
Quindecies actas primus Olympiadas:
Præteritosq; dies, & tutos respicit annos:
Nec metuit Lethes iam propioris aquas.
Nulla recordanti lux est ingrata, grauisq;:
Nulla fuit, cuius non meminisse uelit.
Ampliat ætatis spatium sibi uir bonus: hoc est
Viuere bis, uita posse priore frui.

Ad Calendas Martias. 24

Natales mihi, Martiæ Calendæ,
Lux formosior omnibus Calendis,
Quæ mittunt mihi munus & puellæ,
Quinquagesima liba septimamq;
Vestris addimus hanc focis acerram.
Vis nos si tamen expedit roganti,
Annos addite ter precor nouenos:
Vt nondum nimia piger senecta,

Sed uitæ tribus aureis peractis
Lucos Elysiæ petam puellæ,
Post hæc tempora, nec diem rogabo.

De Mutio. 25

In matutina nuper spectatus arena
Mutius, imposuit qui sua membra focis,
Si patiens fortisq; tibi, durusq; uidetur,
Abderitanæ pectora plebis habes.
Nam cùm dicatur tunica præsente molesta,
Vre manum: plus est dicere, non facio.

De Varo. 26

Vare Paretonias, Latia modò uite per urbes
Nobilis & centum dux memorande uiris,
At nunc Ausonio frustra promissa Quirino
Hospita Lagæi littoris umbra iaces,
Spargere non licuit frigentia fletibus ora,
Pinguia nec mœstis addere tura rogis:
Sed datur æterno uicturum carmine nomen.
Nunquid & hoc, fallax Nile negare potes?

Ad Diodorum. 27

Natali, Diodore, tuo conuiua Senatus
Accubat, & rarus non adhibetur eques:
Et tua tricenos largitur sportula numos.
Nemo tamen natum te, Diodore, putat.

Ad Ianum. 28

Annorum, nitidiq; sator pulcherrime mundi,
Publica quem primum uota, precesq; canunt,
Peruius exiguos habitabas antè penates,
Plurima quâ medium Roma terebat iter.
Nunc tua Cæsareis cinguntur limina donis,
Et fora tot numeras Iane, quot ora geris.
At tu sancte pater, tanto pro munere gratus,
Ferrea perpetua claustra tuere fera.

Ad Sextilianum. 29

Quam mihi mittebas Saturni tempore lancem,
Misisti dominæ, Sextiliane, tuæ.
Et quam donabas dictis à Marte Calendis,
De nostra prasina est synthesis empta toga.
Iam constare tibi gratis cœpere puellæ.
Muneribus sutuis, Sextiliane, meis.

De littore Formiano. 30

O temperatæ dulce Formiæ littus,
Vos, cum seueri fugit oppidum Martis,
Et inquietas fessus exuit curas,
Apollinaris omnibus locis præfert.
Non ille sanctæ dulce Tybur uxoris,
Nec Tusculanos, Algidosue secessus
Præneste nec sic, Antiumue miratur.
Non blanda Circe, Dardanisue Caietæ
Desiderantur, nec Marica, nec Lyris,
Nec in Lucrina lota Salmacis uena.
Hic summa leni stringitur Thetis uento.
Nec languet æquor: unda sed quies ponti
Pictam Phaselon adiuuante fert aura.
Sicut puellæ non amantis ætatem
Multa salubre purpura uenit frigus,
Nec æta longo quærit in mari prædam,
Sed à cubiculo, lectuloq; iactatam

Spectatus altè lineam trahit piscis,
Si quando Nereus sentit Æoli regnum.
Ridens procellas tuta de sua mensa.
Piscina rhombum pascit, & lupos uernas.
Natat ad magistrum delicata murena.
Nomenculator mugilem citat notum.
Et adesse iussi prodeunt senes multi.
Frui sed istis quando Roma permittis?
Quot Formianos imputat dies annus
Negotiosis rebus urbis hærenti?
O uinitores, illicique felices,
Dominis parantur ista, seruiunt uobis.

In Calliodorum. 31

Addixti seruum numis here mille ducentis,
Vt bene cœnares, Calliodore, semel:
Nec bene cœnasti, nullus tibi quattuor emptus
Librarum, cœnæ pompa, caputq; fuit.
Exclamare libet, Non est hoc, improbe, non est
Piscis: homo est: hominem, Calliodore, uorasti.

De imagine M. Antonii. 32

Hæc mihi, quæ colitur uiolis pictura, rosisq;,
Quos referat uultus, Cæciliane, rogas?
Talis erat Marcus medijs Antonius annis:
Primus in hoc iuuenem se uidet ore senex.
Ars utinam mores, animumq; effingere posset:
Pulchrior in terris nulla tabella foret.

Ad Numatium Gallum. 33

Simplicior priscis, Numati Galle, Sabinis,
Cecropium superas qui bonitate senem.

Sic tibi cum socero clauos retinere penates:
Perpetua natæ det face casta Venus:
Vt tu si uiridi tinctos aerugine uersus
Fortè malus liuor dixerit esse meos,
Vt facis, à nobis abigas: nec scribere quenquam
Talia contendas carmina, qui legitur.
Hunc seruare modum nostri nouere libelli,
Parcere personis, dicere de uitijs.

Ad Traianum. 34

Dij tibi dent quicquid, princeps Traiane, mereris:
Et rata perpetuo, quæ tribuere, uelint:
Qui sua restituis spoliato iura patrono:
Libertis exul non erit ille suis.
Dignus es, ut possis totum seruare clientem:
Vt liceat, tantum uera probare potes.

De Sulpitia. 35

Omnes Sulpitiam legant puellæ,
Vni quæ cupiunt uiro placere:
Omnes Sulpitiam legant mariti,
Vni qui cupiunt placere nuptæ.
Non hæc Colchidos asserit furorem,
Diri prandia nec refert Thyestæ,
Scyllam, Byblida nec fuisse credit:
Sed castos docet, & pios amores,
Lusus, delicias, facetiasq;.
Cuius carmina qui bene æstimarit,
Nullam dixerit esse sanctiorem.
Tales Aegeriæ iocos fuisse
Vdo crediderim Numæ sub antro.

Hoc condiſcipula, uel hac magiſtra
Eſſes doctior, & pudica Sappho.
Sed tecum pariter, ſimulq; uiſam
Durus Sulpitiam Phaon amauet.
Fruſtra nanq; ea nec Tonantis uxor,
Non Bacchi, nec Apollinis puella
Erepto ſibi uineret Caleno.

In Munnam. 36

Improba Maßiliæ quicquid fumaria cogunt,
Accipit ætatem quiſquis ab igne cadus,
Ate Munna uenit. miſeris tu mittis amicis
Per freta, per longas toxica ſæua uias.
Nec facili pretio, ſed quo contenta Falerni
Teſta ſit, aut cellis Setia cara ſuis.
Non uenias quare tam longo tempore Romam,
Hæc puto cauſa tibi eſt, ne tua uina bibas.

Ad Maternum. 37

Iuris, & æquarum cultor ſanctiſſime legum,
Veridico Latium qui regis ore forum,
Municipi Materne tuo, ueteriq; ſodali
Callaicum mandas ſiquid ad Oceanum,
An Laurentino turpes in littore ranas,
Et ſatius tenues ducere credis acos,
Ad ſua captiuum quam ſaxa remittere mullum,
Viſus erit libris qui minor eſſe tribus?
Et fatuam ſumma cœnare pelorida menſa,
Quosq; tegit læui cortice concha breuis?
Oſtrea Baianis quam non liuentia teſtis,
Quæ domino pueri non prohibente uorent?

Hic

Hic olidam clamoſus ages in retia uulpem,
Mordebitq; tuos ſordida præda canes.
Illic piſcoſo modò uix eductа profundo
Impedient lepores humida lina meos.
Dum loquor, ecce redit ſporta piſcator inani.
Venator capta matre ſuperbus adeſt.
Omnis ab urbano uenit ad mare cœna macello,
Callaicum mandas ſiquid ad Oceanum.

Ad Calenum. 38

O molles tibi quindecim, Calene,
Quos cum Sulpitia tua iugales
Indulſit Deus, & peregit annos.
O nox omnis, & hora, quæ notata eſt
Caris littoris Indici lapillis!
O quæ prælia, quas utrinq; pugnas
Felix lectulus, & lucerna uidit
Nimbis ebria Niceratianis!
Vixiſti tribus ô Calene luſtris.
Ætas hæc tibi tota computatur,
Et ſolos numeras dies mariti.
Ex illis, tibi ſi diu rogatam
Lucem redderet Atropos, uel unam,
Malles, quam Pyliam quater ſenectam.

In Lesbiam. 39

Conſule te Bruto quid iuras, Lesbia, natam?
Mentiris, nata es, Lesbia, rege Numa.
Sic quoq; mentiris, nanq; ut tua ſecula narrant,
Ficta Prometheo diceris eſſe luto.

Ad Lupum de Polla. 40

Semper cùm mihi diceretur esse
Secreto mea Polla cum cinædo:
Irrupi, Lupe: non erat cinædus.

In Proculeiam. 41

Mense nouo Iani uxorem Proculeia maritum
Deseris, atq; iubes, res sibi habere suas.
Quid rogo, quid factũ est? subiti quæ causa doloris?
Nil mihi respondes? dicam ego: Prætor erat.
Constatura fuit Megalensis purpura centum
Millibus, ut nimium munera parca dares,
Et populare sacrum bis millia dena tulisset.
Dissidium non est hoc, Proculeia: lucrum est.

Ad Dindymum. 42

Tam dubia est langvo tibi, tam mollis, ut illam
Halitus & soles & leuis aura terat.
Celantur simili uentura cydonia lana,
Pollice uirgineo quæ spoliata nitent.
Fortius impressi quoties tibi basia quinq;,
Barbatus labris, Dindyme, sio tuis.

Ad Phileroten. 43

Septima iam, Phileros, tibi conditur uxor in agro:
Plus nulli, Phileros, quàm tibi reddit ager.

Ad Q. Ouidium. 44

Quinte Caledonios Ouidi uisure Britannos,
Et uiridem Tethyn, Oceanumq; patrem,
Ergo Numæ colles, & Nomentana relinques
Otia? nec retinent rusq; focusq; senem?
Gaudia tu differs: at non & stamina differt
Atro-

Atropos, atq; omnis scribitur hora tibi.
Præstiteris charo (quis non hoc laudet?) amico,
Vt potior uita sit tibi sancta fides.
Sed reddare tuis tandem mansure Sabinis:
Teq; tuas numeres inter amicitias.

In delicatum lectorem. 45

Si quid lene mei dicunt, & dulce libelli,
Si quid honorificum pagina blanda sonat,
Hoc tu pinguc putas, & costam rodere mauis,
Ilia Laurentis cùm tibi demus apri.
Vaticana bibas, si delectaris aceto:
Non facit ad stomachum nostra lagœna tuum.

In Mathonem. 46

Omnia uis belle, Matho, dicere: dic aliquando
Et bene, dic neutrum: dic aliquando male.

Ad seipsum. 47

Vitam quæ faciunt beatiorem
Iucundissime Martialis, hæc sunt:
Res non parta labore, sed relicta:
Non ingratus ager, focus perennis,
Lis nunquam, toga rara, mens quieta,
Vires ingenuæ, salubre corpus,
Prudens simplicitas, pares amici,
Conuictus facilis, sine arte mensa:
Nox non ebria, sed soluta curis:
Non trislis torus, attamen pudicus:
Somnus, qui faciat breues tenebras:
Quod sis, esse uelis, nihilq; malis:
Summum nec metuas diem, nec optes.

Parat conuiuium. 48

Nuntiat octauam Phariæ sua turba iuuencæ,
Et pilata redit iamq́; subitq́; cohors.
Tẽperat hæc thermas, nimios prior hora uapores
Halat, & immodico sexta Nerone calet.
Stella, Nepos, Cani, Cerealis, Flacce uenitis.
Septem signa capit, sex sumus, adde Lupum.
Exoneraturas uentrem mihi uillica maluas
Attulit, & uarias, quas habet hortus, opes:
In quibus est lactuca sedens, & sectile porrum:
Nec deest ructatrix mentha, nec herba salax.
Secta coronabunt rutatos oua lacertos:
Et madidum thynni de sale sumen erit.
Paruus in his una ponetur cœnula mensa
Hœdus inhumani raptus ab ore lupi.
Et, quæ non egeant ferro structoris Ofellæ,
Et faba fabrorum, prototomiq́; rudes.
Pullus ad hæc, cœnisq́; tribus iam pœna superstes
Addetur: saturis mitia poma dabo.
De Nomentana uinum sine fæce lagœna,
Quæ bis frontino Consule prima fuit.
Accedent sine felle ioci, nec manè timenda
Libertas, & nil quod tacuisse uelis.
De prasino conuiua meus, uenetoq́; loquetur:
Nec facient quenquam pocula nostra reum.

In Cottam. 49

Cùm potes amethystynos trientes,
Et nigro madeas Opimiano,
Propinas modò conditum Sabinum:

Et dicis mihi Cotta, Vis in auro?
Quisquam plumbea uina uult in auro?

De Scorpo. 50

Frangat Idumæas tristis uictoria palmas:
Plange fauor sæua pectora nuda manu.
Mutet honor cultus, & iniquis munera flammis
Mitte coronatas gloria mœsta comas.
Heu facinus, prima fraudatus, Scorpe, iuuenta
Occidis, & nigros tam cito iungis equos.
Curribus illa tuis semper properata, breuisq́;
Cur fuit, & uitæ tam propè meta tuæ?

Ad Faustinum. 51

Sydera iam Tyrius Phryxei respicit agni
Taurus, & alternum Castora fugit hyems.
Ridet ager, uestitur humus, uestitur & arbos:
Ismarium pellex Attica plorat Ityn.
Quos, Faustine, dies, qualem tibi Roma Rauennam
Abstulit? ô soles, ô tunicata quies.
O Nemus, ô fontes, solidumq́; madentis arenæ
Littus, & æquoreis splendidus Anxur aquis,
Et non unius spectator lectulus undæ,
Qui uidet hinc puppes fluminis, inde maris,
Sed nec Marcelli, Pompeianumq́; nec illic
Sunt triplices thermæ, nec fora iuncta quater:
Nec capitolini summum penetrale Tonantis,
Quæq́; nitent cœlo proxima templa suo.
Dicere te lassum quoties ego credo Quirino!
Quæ tua sunt, tibi habe: quæ mea, redde mihi.

De Theli Spadone. 52

Thelin uiderat in toga spadonem,
Damnatam Numa dixit esse mœcham.

Epitaphium Scorpi. 53

Ille ego sum Scorpus, clamosi gloria Circi,
Plausus Roma tui, deliciæq; breues:
Inuida quem Lachesis raptum trieteride nona
Dum numerat palmas, credidit esse senem.

In Olum. 54

Mensas, Ole, bonas ponis: sed ponis opertas.
Ridiculum est. possum sic ego habere bonas.

In Marullam. 55

Arrectum quoties Marulla penem
Pensauit digitis, diuq; mensa est,
Libras scrupula, sextulasq; dicit.
Idem post opus, & suas palæstras,
Loro cùm similis iacet remisso:
Quanto sit leuior Marulla dicit.
Non ergo est manus ista sed statera.

In Gallum. 56

Totis, Galle, tubes tibi me seruire diebus,
Et per Auentinum ter, quater ire tuum.
Eximit, aut reficit dentem Cascellius ægrum:
Infestos oculis uris Higine pilos.
Non secat, & tollit stillantem Fannius uuam.
Tristia saxorum stigmata delet Eros.
Enterocelarum fertur Podalirius Hermes.
Qui sanet ruptos, die mihi Galle, quis est?

Ad Sextum. 57

Argenti libram mittebas: facta celibra est,
Sed piperis tanti non emo, Sexte, piper.

Ad Frontinum. 58

Luxuris æquorei placidos, Frontine, recessus,
Et proprius Baias, littoreamq; domum,
Et quod inhumanæ Cancro feruente cicadæ,
Non nouere nemus, fluminaq; lacus,
Dum colui, doctas tecum celebrare uacabat
Pieridas: nunc nos maxima Roma terit.
Hic mihi quando dies meus est, iactamur in alto
Vrbis, & in seruili uita labore perit.
Dura suburbani dum iugera pascimus agri,
Vicinosq; tibi sancte Quirine lares.
Sed non solus amat, qui nocte, dieq; frequentat
Limina, nec uatem talia damna decent.
Per uenerandamihi Musarum sacra, per omnes
Iuro deos, & non officiosus amo.

In delicatum lectorem. 59

Consumpta est uno si lemmate pagina, transis:
Et breuiora tibi, non meliora placent,
Dines, & ex omni posita est instructa macello
Cœna tibi, sed te martya sola iuuant.
Non opus est nobis nimium lectore guloso.
Hunc uolo, qui fiat non sine pane satur.

De Munna. 60

Iura trium petijt à Cæsare discipulorum,
Assuetus semper Munna docere duos.

Epitaph

Epitaphium Erotionis. 60

Hic festinata requiescit Erotion umbra,
Crimine quam fati sexta peremit hyems.
Qui squis eris nostri post me regnator agelli,
Manibus exiguis annua iusta dato.
Sic lare perpetuo, sic turba sospite solus
Flebilis in terra sit lapis iste tua.

Ad magistrum ludi. 61

Ludi magister, parce simplici turbæ:
Sic te frequentes audiant capillati,
Et delicatæ diligat chorus mensæ:
Nec calculator, nec notarius uelox
Maiore quisquam circulo coronetur.
Albæ Leone flammeo calent luces,
Tostamq́; feruens Iulius coquit messem,
Scuticaq́; loris horridis Scythæ pellis,
Qua uapulauit Marsyas Celenæus,
Ferulæq́; tristes, sceptra pædagogorum
Cessent, & idus dormiant in Octobris.
Aestate pueri si ualent, satis discunt.

Epitaphium nobilis matronæ. 62

Marmora parua quidem, sed non cessura, uiator,
Mausoli saxis, pyramidumq́; leges.
Bis mea Romano spectata est uita Terento,
Et nihil extremos perdidit ante rogos.
Quinq; dedit pueros, totidem mihi Iuno puellas:
Clauserunt omnes lumina nostra manus.
Contigit & thalami mihi gloria rara: fuitq́;
Vna pudicitiæ mentula nota meæ.

Ad

Ad Pollam. 63

Contigeris regina meos si, Polla, libellos,
Non tetrica nostros excipe fronte iocos.
Ille tuus uates, Heliconis gloria nostri,
Pieria caneret cum fera bella tuba,
Non tamen erubuit lasciuo dicere uersu,
Si nec pædicor, Cotta, quid hic facio?

In Carmenionem. 64

Cum te municipem Corinthiorum
Iactes, Carmenion, negante nullo,
Cur frater tibi dicor ex Iberis,
Et Celtis genitus, Tagiq́; ciuis?
An uultu similes uidemur esse?
Tu flexa nitidus coma uagaris:
Hispanis ego contumax capillis.
Lauis dropace tu quotidiano:
Hirsutis ego cruribus, genisq́;.
Os blæsum tibi, debilisq́; lingua est.
Nobis filia fortius loquetur.
Tam dispar aquilæ columba non est,
Nec dorcas rigido fugax leoni.
Quare desine me uocare fratrem,
Ne te, Carmenion, uocem sororem.

De Theopompo. 65

Quis rogo tam durus, quis tam fuit ille superbus,
Qui iussit fieri te, Theopompe, cocum?
Hanc aliquis faciem nigra uiolare culina
Sustinet? has uncto polluit ungue comas?
Quis potius cyathos, aut quis crystalla tenebit?

Qua

Quæ sapiens melius mista falerna manu?
Si iam sydereos manet exitus iste ministros,
Iuppiter utatur iam Ganymede coco.

Epitaphium uetulæ. 66

Pyrrhæ filia, Nestoris nouerca,
Quam uidit Niobe puella canam,
Laertes auiam senex uocauit,
Nutricem Priamus, socrum Thyestes,
Iam cornicibus omnibus superstes,
Hoc tandem sita prurit in sepulcro
Caluo Plotia cum Melanthione.

In Læliam. 67

Cùm tibi nõ Ephesos, nec sit Rhodos, aut Mitylene
Sed domus in uico, Lælia, patritio,
Deq; coloratis nunquam lita mater Hetruscis
Durus Aricina de regione pater:
Ζωὴ κρὲ ψυχὴ lasciuum congeris usq;,
Prò pudor Hersiliæ ciues, & Aegeriæ.
Lectulus has uoces, nec lectulus audiat omnis,
Sed quem lasciuo strauit amica uiro.
Scire cupis, quo casta modo matrona loquaris?
Nunquid cùm crissas, blandior esse potes?
Tu licet edisças totam, referasq; Corinthum,
Non tamen omnino, Lælia, Thais eris.

De Polla. 68

Custodes das, Polla, uiro, nec accipis ipsa.
Hoc est uxorem ducere Polla uirum.

Ad Potitum. 69

Quòd mihi uix unus toto liber exeat anno,

Desidiæ tibi sum, docte Potite, reus.
Vastius at quanto mirere, quòd exeat unus,
Labantur toti cùm mihi sæpe dies!
Nunc resalutanteis uideo nocturnus amicos:
Gratulor & multis, nemo Potite mihi.
Nunc ad Luciferam signat mea gemma Dianam:
Nunc me prima sibi, nunc sibi quinta rapit.
Nunc Consul, Prætorue tenet, reducesq; choreæ:
Auditur toto sæpe pocta die.
Sed nec causidico possis impunè negare,
Nec si te rhetor, grammaticus ue rogent.
Balnea post decimam lasso, centumq; petuntur
Quadrantes: fiet quando, Potite, liber?

Re Rabirio. 70

Quisquis læta tuis, & sera parentibus optas
Fata, breuem titulum marmoris huius ama.
Condidit hac charas tellure Rabirius umbras:
Nulli sorte iacent candidiore senes.
Bis sex lustra tori, nox mitis, & ultima clausit.
Asserunt uno funera bina rogo.
Hos tamen, ut primis raptos sibi quærit in annis,
Improbius nihil his fletibus esse potest.

Adulatorium. 71

Frustra blanditiæ uenitis ad me
Attritis miserabiles labellis.
Dicturus dominum, Deumq; non sum:
Iam non est locus hac in urbe uobis.
Ad Parthos procul ite pileatos:
Et turpes, humilesq; supplicesq;

Pictorum sola basiate regum.
Non est hic dominus, sed imperator,
Sed iustissimus omnium senator:
Per quem de Stygia domo reducta est
Siccis rustica Veritas capillis.
Hoc sub principe, si sapis caueto,
Verbis, Roma, prioribus loquaris.

Ad Marcum. 71

Littera facundi gratum mihi pignus amici
Pertulit, Ausoniæ dona seuera togæ,
Qua non Fabricius, sed uellet Apicius uti,
Vellet Mecœnas Cæsarianus eques.
Vilior hæc nobis, alio mittente, fuisset.
Non quacunq; manu uictima cæsa litat.
A te missa, uenit. possem nisi munus amare,
Marce, tuum, poteram nomen amare meum.
Munere sed plus est, & nomine gratius ipso,
Officium docti, iudiciumq́; uiri.

Ad Romam. 72

Iam parce lasso, Roma, gratulatori,
Lasso clienti: quandiu salutator
Anteambulones, & togatulos inter
Centum merebor plumbeos die toto,
Cùm Scorpus una quindecim graues hora
Feruentis auri uictor afferat saccos.
Non ego meorum præmium libellorum?
(Quid enim merentur?) Appulos uelim campos.
Non Hybla, non me spicifer capit Nilus,
Nec quæ paludes delicata Pontinas

Ex

Ex arce cliui spectat uua Setini.
Quid concupiscam, quæris ergo? dormire.

De Galla. 73

Millia uiginti quondam me Galla poposcit.
Et, fateor, magni non erat illa nimis.
Annus abit: bisquina dabis sestertia, dixit.
Poscere plus uisa est, quam prius, illa mihi.
Iam duo poscenti post sextum millia mensem,
Mille dabam nummos: noluit accipere.
Transierant binæ forsan, trinæ'ue Calendæ,
Aureolos ultro quattuor ipsa petit.
Non dedimus. centum iussit me mittere numos:
Sed uisa est nobis hæc quoq; summa grauis,
Sportula nos iunxit quadrantibus arida centum:
Hanc uoluit: puero diximus esse datam.
Inferius nunquid potuit descendere? fecit.
Dat gratis, ultro dat mihi Galla: nego.

De Meuio. 74

Hoc fortuna tibi uidetur æquum?
Ciuis non Syriæ'ue, Parthiæ'ue,
Nec de Cappadocis eques catastis,
Sed de plebe Remi, Numæq́; uerna,
Iucundus, probus, innocens, amicus,
Lingua doctus utraq; (cuius unum est,
Sed magnum uitium, quòd est poëta)
Pullo Meuius alget in cucullo:
Cocco mulio fulget incitatus.

De Caro medico. 75

Nequius à Caro nihil unquam, Maximè, factũ est,

t Quam

Quam quòd febre perit: fecit & ille nefas.
Sæua nocens febris saltem quartana fuisset.
Seruari medico debuit illa suo.

Ad Macrum. 76

Ibis littoreas, Macer, Salonas.
Ibit rara fides, amorq; vecti:
Et secum comitem trahet pudorem.
Semper pauperior redit potestas.
Felix auriferæ colone terræ,
Rectorem uacuo sinu remittes:
Optabisq; moras, & exeuntem
Vdo Dalmata gaudio sequêris.
Nos Celtas Macer, & truces Iberos
Cum desiderio tui petemus.
Sed quæcunq; tamen feretur illic
Piscosi calamo Tagi notata,
Macrum pagina nostra nominabit.
Sic inter uctores legar poëtas:
Nec multos mihi præferas priores,
Vno sed tibi sim minor Catullo.

De Torquato, & Otacilio. 77

Ad lapidem Torquatus habet Prætoria quartum:
Ad quartum breue rus emit Otacilius.
Torquatus nitidas uario de marmore thermas
Extruxit: cucumam fecit Otacilius.
Disposuit daphnona suo Torquatus in agro:
Castaneas centum seuit Otacilius.
Consul Torquatus, uici fuit ille magister:
Nec minor in tanto uisus honore sibi.
Grandis

Grandis ut exiguam bos uanam ruperat olim,
Sic, puto, torquatus rumpet Otacilium.

De Erote. 78

Plorat Eros, quoties maculosa pocula myrrhæ
Inspicit, aut pueros, nobilius ue citrum:
Et gemitus imò promit de pectore, quòd non
Tota miser cœmat septa ferataq; domum.
Quàm multi faciunt, quod Eros, sed lumine sicco!
Pars maior lacrymas ridet, & intus habet.

De Phyllide. 79

Cùm duo uenissent ad Phyllida manè futuum,
Et nudam cuperet sumere uterq; prior:
Promisit pariter se Phyllis utriq; datuam:
Et dedit. ille pedem sustulit, hic tunicam.

Ad Gallum. 80

Si quid nostra tuis adicit uexatio rebus,
Manè, uel a media nocte togatus, ero,
Stridentesq; feram flatus Aquilonis iniqui,
Et patiar nimbos, excipiamq; niues.
Sed si non fias quadrante beatior uno,
Per gemitus nostros, ingenuasq; cruces,
Parce precor lasso, uanosq; remitte labores,
Qui tibi non prosunt: & mihi, Galle, nocent.

Ad Marinum. 81

Raros colligis hinc, & hinc capillos,
Et latum nitidæ, Marine, caluæ
Campum temporibus tegis comatis.
Sed moti redeunt iubente uento,
Reddunturq; sibi, caputq; nudum

Cirris grandibus hinc, & inde cingunt.
Inter Splendophorum, Teleſphorumq;
Cidæ ſtare putabis Halmyroten.
Vis te ſimplicius ſenem fateri?
Vt tandem uidearis unus eſſe,
Tonſor iam reliquos metat capillos.
Caluo turpius eſt nihil comato.

De Afro. 82

Miraris, quare dormitum non eat Aſer?
Accumbat cum qua, Caciliane, uides.

De Ladonte nauta. 83

Iam ſenior Ladon, Tyberinæ nauta carinæ,
Proxima dilectis rura parauit aquis.
Quæ cùm ſæpe uigus premeret torrentibus undis
Tybris, & hyberno rumperet aura lacu,
Emeritam puppim, ripa quæ ſtabat in alta,
Impleuit ſaxis oppoſuitq; uadis.
Sic nimias auertit aquas: quis credere poſſet?
Auxilium domino merſa carina tulit.

De Lauro 84

Nemo noua caluit ſic inflammatus amica,
Flagrauit quanto Laurus amore pilæ.
Sed qui primus erat luſor, dum floruit ætas,
Nunc poſtquam deſit ludere, prima pila eſt.

De natali Reſtituti. 85

Octobres, age ſentiat Calendas
Facundi pia Roma Reſtituti.
Linguis, omnibus & fauete uotis.
Natalem colimus, tacete lites.

Aſſit

Aſſit cereus aridi clientis:
Et uani triplices, breuesq; mappæ
Expectent gelidi iocos Decembris.
Certent muneribus beatiores.
Agrippæ tumidus negotiator
Cadmi municipes ſerat lacernas.
Pugnorum reus, ebriæq; noctis
Cœnatoria mittat aduocato.
Infamata uirum puella uicit:
Veros ſardonychas ſed ipſa tradat.
Mirator ueterum ſenex auorum
Donet Phidiaci toreuma cæli.
Venator leporem, colonus hœdum,
Piſcator ſerat æquorum rapinas.
Si mittit ſua quiſq;, quid poëtam
Miſſurum tibi, Reſtitute, credis?

Ad Cottam. 86

Omnes perſequeris Prætorum, Cotta, locellos:
Accipis & ceras officioſius homo es.

De ſtatua Iunonis. ad Polycletũ. 87

Iuno labor, Polyclete, tuus, & gloria felix,
Phidiacæ cuperent quam meruiſſe manus,
Ore nitet tanto, quanto ſuperaſſet in Ida
Iudice conuictas non dubitante Deas.
Iunonem, Polyclete ſuam niſi frater amaret,
Iunonem poterat frater amare tuam.

In Ligellam. 88

Quid uellis uetulum Ligella cummum?
Quid buſti cineres tui laceſſis?

Tales munditiæ decent puellas.
Nam tu iam nec anus potes uideri.
Istud crede mihi, Zigella, bellè
Non mater facit Hectoris, sed uxor.
Erras, si tibi cunnus hic uidetur,
Ad quem mentula pertinere desyit.
Quare si pudor est, Zigella, noli
Barbam uellere mortuo leoni.

De Almone. 89

Omnes eunuchos habet Almo, nec arrigit ipsi:
Et queritur, pariat quòd sua Polla nihil.

Ad Marium. 90

Mari quietæ cultor, & comes uitæ,
Quo ciue prisca gloriatur Attina:
Has tibi gemellas barbari decus luci
Commendo pinus ilicesq; Faunorum,
Et semidocta uillici manu structas
Tonantis aras, horridiq; Syluani
Quas tinxit agni sæpe sanguis, & hœdi,
Dominamq; sancti uirginem Deam templi,
Et quem sororis hospitem uides castæ
Martem meorum principem Calendarum,
Et delicatæ laureum nemus Floræ,
In quod Priapo persequente confugit.
Hoc omne agelli mite paruuli numen
Seu tu cruore, siue ture placabis:
Vbicunq; noster Martialis est dices,
Hac ecce mecum dextera litat uobis
Absens sacerdos, uos putate præsentem:

Et date duobus, quicquid alter optarit.

Ad Clementem. 91

Si prior Euganeas, Clemens, Heliconis in oras,
Pictaq; pampineis ueneris arua iugis,
Perfer Aretinæ nondum uulgata Sabinæ
Carmina, purpurea sed modo suta toga.
Vt rosa delectat, metitur quæ pollice primo:
Sic noua, nec mento sordida, charta iuuat.

Munusculum Pomorum. 92

Non mea Massylus seruat pomaria serpens,
Regius Alcinoi nec mihi seruit ager:
Sed Nomentana securus germinat hortus
Arbore: nec furem plumbea mala timent.
Hæc igitur media quæ sunt mihi nata Suburra,
Mittimus, autumni cerea poma mei.

Ad Gallam. 93

Infantem tibi uir, tibi, Galla, remisit adulter.
Hi puto non dubiè se futuisse negant.

Ad Auitum. 94

Sæpe loquar nimium, gentes quòd Auite remotas
Miraris, Latia factus in urbe senex:
Ausiferumq; Tagum sitiam patriumq; Salonem,
Et repetam saturæ sordida rura casæ.
Illa placet tellus, in qua res parua beatum
Me facit, & tenues luxuriantur opes.
Pascitur hic, ibi pascit ager: tepet igne maligno
Hic focus, ingenti lumine lucet ibi.
Hic pretiosa fames, conturbatorq; macellus,
Mensa ibi diuitijs ruris operta sui.

Quattuor hic æstate togæ, pluresne iacentur:
Autumnis ibi me quattuor una tegit.
I, cole nunc reges: quicquid non præstat amicus,
Cum præstare tibi possit: Auite, locus.

De Numa. 95

Dum leuis arsura struitur libitina papyro,
Dum myrrham, & casiam flebilis uxor emit:
Iam scrobe, iam lecto, iam pollinctore parato,
Heredem scripsit me Numa: conualuit.

In Publium. 96

Addat cum mihi cœubum minister
Ideo resolutior cinædo,
Quo nec filia cultior, nec uxor,
Nec mater tua nec soror recumbit:
Vis spectem potius tuas lacernas,
Et curum uetus, Indicosq; dentes?
Sustectus tibi ne tamen recumbam,
Præsta de grege sordidaq; uilla
Tonsos, horridulos, rudes, pusillos,
Hircosi mihi filios subulci.
Perdet te pudor hic: habere, Publi,
Mores non potes hos, & hos ministros.

De figura Socratis. 97

Si Romana forent hæc Socratis ora: fuissent,
Iulius in septis qualia Rufus habet.

In commiscentem uersus operi suo. 98

Quid stulte, nostris uersibus tuos misces?
Cum litigante quid tibi miser libro?

Quid

Quid congregare cum leonibus uulpes,
Aquilisq; similes facere noctuas quæris?
Habeas licebit alterum pedem Ladæ,
Inepte, frustra crure ligneo curres.

De Capitolino. 99

Elysio redeat si fortè remissus ab agro
Ille suo felix Cæsare Galba uetus,
Qui Capitolinum pariter, Galbamq; iocantes
Audierit: dicet, rustice Galba, tace.

De Phileno. 100

Qua factus ratione sit, requiris,
Qui nunquam fuuit, pater Philenus?
Gaditanus Auite dicat istud:
Qui scribit nihil, & tamen poëta est.

Ad Bilbilitanos. 101

Municipes, augusta mihi quos Bilbilis agri
Monte creat, rapidis quos Salo cingit aquis,
Ecquid læta iuuat uestri uos gloria uatis?
Nam decus & nomen, famaq; uestra sumus.
Nec sua plus debet tenui Verona Catullo:
Meq; uelit dici non minus illa suum.
Quattuor acceßit trigesima meßibus æstas,
Vt sine me Cereri rustica liba datis.
Mœnia dum colimus dominæ pulcherrima Romæ,
Mutauere meas Itala regna comas.
Excipitis reducem placida si mente, uenimus:
Aßit era si geritis corda, redire licet.

Ad Librum. 102

I nostro comes, i libelle flauo.

Longum per mare, sed fauentis undæ,
Et cursu facili, tuisq; uentis
Hispanæ pete Tarraconis arces.
Illinc te rota tollet, & citatus
Altam Bilbilin, & tuam Salonem
Quinto forsitan essedo uidebis.
Quid mandem tibi quæris? ut sodales
Paucos, & ueteres, & antè brumas
Triginta mihi, quattuorq; uisos
Ipsa protinus à uia salutes:
Et nostrum admoneas subinde Flauum,
Iucundos mihi nec laboriosos
Secessus spatio parct salubri.
Qui pigrum faciant tuum parentem.
Hæc sunt iam tumidus uocat magister,
Cæsligauq; moras, & aura portum
Laxauit melior: uale libelle.
Nauem, scis, puto, non moratur unus.

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATON LIBER VNDECIMVS.

I

QVO tu, quò liber otiose tendis,
Cultus sindone non quotidiana?
Numquid Parthenium uidere tentas?
Vadas, & redeas ineuolutus.
Libros non legit ille, sed libellos:

Nec Musis uacat, aut suis uacaret.
Ecquid te satis æstimas beatum,
Contingunt tibi si manus minores?
Vicini pete porticum Quirini:
Turbam non habet otiosiorem
Pompeius, uel Agenoris puella,
Vel primæ dominus leuis Carinæ.
Sunt illic, duo tresue, qui reuoluant
Nostrarum tineas ineptiarum.
Sed cùm sponsio, fabulæq; lassæ
De Scorpo fuerint, & incitato.

Ad Lectores. 2

Triste supercilium, duriq; seuera Catonis
Frons, & aratoris filia Fabricij,
Et personati fastus, & regula morum,
Quicquid & in tenebris non sumus, ite foras.
Clamant ecce mei, ô Saturnalia uersus.
Et licet, & sub te præside, Nerua licet.

Ad Eosdem. 3

Lectores tetrici salebrosum ediscite Sanctram.
Nihil mihi uobiscum est: iste liber meus est.

De suis Libellis. 4

Non urbana mea tantum Pimpleide gaudent
Otia, nec uacuis auribus ista damus:
Sed meus in Getici ad Martia signa pruinis
Arrigido teritur Centurione liber.
Dicitur & nostro cantare Britannia uersus,
Quid prodest? nescit sacculus ista meus.
At quam uicturas poteramus pangere chartas,

Quantaq; Pieria prælia flare tuba,
Cùm pia reddiderint Augustum numina terris,
Et Mecœnatem si tibi, Roma darent.

Precatur Deos pro Nerua Traiano. 5

Sacra, Laresq; Phrygum, quos Troiæ maluit hæres,
Quam rapere arsuras Laomedontis opes,
Scriptus es æterno nunc primum Iuppiter auro,
Et soror & summi filia tota patris,
Et qui purpureis iam tertia nomina factis
Iane refers Neruæ uos precor ore pio,
Hunc omnes seruate ducem, seruate Senatum.
Moribus hic uiuat principis, ille suis.

In laudem Neruæ Traiani. 6

Tanta tibi est recti reuerentia, Cæsar, & æqui,
Quanta Numæ fuerat: sed Numa pauper erat.
Arduа res hæc est, opibus non tradere mores:
Et cùm tot Crœsos uicerit esse Numam.
Si redeant ueteres, ingentia nomina, patres,
Elysium liceat si uacuare nemus:
Te uolet inuictus pro libertate Camillus,
Aurum Fabricius te tribuente uolet.
Te duce gaudebit Brutus: tibi Sylla cruentus
Imperium tradet, cùm positurus erat.
Et te priuato cum Cæsare Magnus amabit:
Donabit totas & tibi Crassus opes.
Ipse quoq; infernis reuocatus Ditis ab umbris
Si Cato reddatur, Cæsarianus erit.

Ad Romam & Dindymum. 7

Vnctis falciferi senis diebus.

Regnator quibus imperat frittillus,
Versa ludere non laborioso
Permittis puto pileata Roma.
Risisti: licet ergo nec uetamur.
Pallentes procul hinc abite curæ:
Quicquid uenerit obuium, loquamur.
Morosa sine cogitatione.
Misce dimidios puer trientes,
Quales Pythagoras dabat Neroni:
Misce Dindyme, sed frequentiores.
Possum nil ego sobrius: bibenti
Succurrunt mihi quindecim poëtæ.
Da nunc Basia, sed Catulliana.
Quæ si tot fuerint, quot ille dixit,
Donabo tibi passerem Catulli.

In Paulam. 8

Iam certè stupido non dices, Paula, marito,
Ad mœchum quoties longius ire uoles,
Cæsar in Albanum iussit me manè uenire,
Cæsar Circæos. Iam stropha talis abit.
Penelope licet esse tibi sub principe Neruæ:
Sed prohibet scabies, ingeniumq; uetus.
Infelix quid ages? ægram simulabis amicam?
Hærebit dominæ uir comes ipse suæ:
Ibit & ad fratrem tecum, matremq; patremq;.
Quas igitur fraudes ingeniosa paras?
Dicet & ictericam se forsitan altera mœcha
In Sinuessano uelle sedere lacu.
Quanto tu melius, quoties placet ire futuum,

Quæ

Quæ uerum mauis dicere Paula uiro.

De baſiis ſui pueri. 9

Laſſa quod externi ſpirant opobalſama drauci,
Vltima Corycio quæ cadit aura croco,
Poma quod hyberna matureſcentia capſa,
Arbore quod uerna luxurioſius ager,
De pallatinis dominæ quod ſerica prælis,
Succina uirgineæ quod regelata manu,
Amphora quod nigri,ſed longè fracta Falerni,
Quod qui Sicanias detinet hortus apes,
Quod Coſmi redolent alabaſtra,ſociq; deorum,
Quod modò diuitibus lapſa corona comis:
Singula quid dicam?non ſunt ſatis:omnia miſce:
Hoc fragrant pueri baſia manè mei.
Scire cupis nomen:nil præter baſia dicam,
Iuro,tibi,nimium ſcire,Sabine,cupis.

De ſtatua Memoris. 10

Clarus fronde Iouis,Romani fama cothurni
Spirat Appellea redditus Arte Memor.

De Turno. 11

Contulit ad ſatyras ingentia pectora Turnus.
Cur non ad Memoris carmina?frater erat.

Ad puerum ſuum. 12

Tolle puer calices,tepidiq; toreumata Nili:
Et mihi ſecura pocula trade manu,
Trita patrum labris,& tonſo pura miniſtro:
Antiquus menſis reſtituatur honor.
Te potare decet gemma,qui Mentora frangis
In ſcaphium mœchæ,Sardanapale,tuæ.

In Zoilum. 13

Tus tibi natorum uel ſeptem Zoile,detur:
Dum matrem nemo det tibi,nemo patrem.

Epitaphium Paridis. 14

Qui ſquis flaminiam teris uiator,
Noli nobile præterire marmor.
Vrbis deliciæ ſaleſq; Nili,
Ars,& gratia,luſus,& uoluptas,
Romani decus,& dolor theatri,
Atq; omnes Veneres,Cupidineſq;,
Hoc ſunt condita,quo Paris,ſepulcro.

De Colono. 15

Hæredes,nolite breuem ſepelire colonum,
Nam terra eſt illi quantulacunq; grauis.

De libro ſuo ad Apollinarem. 16

Sunt chartæ mihi,quas Catonis uxor
Et quas horribiles legant Sabinæ.
Hic totus uolo rideat libellus,
Et ſit nequior omnibus libellis.
Quin uino madeat,nec erubeſcat,
Pingui ſordidus eſſe Coſmiano.
Ludat cum pueris,amet puellas:
Nec per circuitus loquatur illam,
Ex qua naſcimur,omnium parentem,
Quam ſanctus Numa mentulam uocabat.
Verſus hos tamen eſſe tu memento
Saturnalitios,Apollinaris.
Mores non habet hic meos libellus.

Ad

Ad Lectorem. 17

Qui grauis es nimium, potes hinc iam, lector, abire.
Quò libet, urbanæ scripsimus ista togæ.
Nam mea Lampsacio lasciuit pagina uersu,
Et Tarteßiaca concrepat ære manu.
O quoties rigida pulsabis pallia uena,
Sus grauior Curio, Fabricioq; licet!
Tu quoq; nequitias nostri, lususq; libelli
Vda puella legas: sis Patauina licet.
Erubuit, posuitq; meum Lucretia librum:
Sed coram Bruto, Brute recede, leget.

Ad Sabinum. 18

Non omnis nostri nocturna est pagina libri.
Inuenies & quod mane, Sabine, legas.

In Lupum. 19

Donasti, Lupe, rus sub urbe nobis:
Sed rus est mihi maius in fenestra.
Rus hoc dicere, rus potes uocare?
In quo ruta facit nemus Dianæ,
Argutæ tegit ala quod cicadæ,
Quod formica die comedit uno,
Clausæ cui folium rosæ corona est:
In quo non magis inuenitur herba,
Quam cõsti folium, piper'ue crudum:
In quo nec cucumis iacere rectus,
Nec serpens habitare tota possit.
Erucam malè pascit hortus unam.
Consumpto moritur culex saliclo.
Et talpa est mihi fossor, atq; arator.

Non boletus hiare, non marisca
Ridere, aut uiolæ patere possunt.
Fines mus populatur, & colono
Tanquam sus Calydonius, timetur.
Et sublata uolantis ungue Prognes
In nido seges est hirundinino.
Et cùm stet sine falce, mentulaq;,
Non est dimidio locus Priapo.
Vix implet cochleam peracta messis:
Et mustum nuce condimus picata,
Erasti, Lupe, litera, sed una.
Nam quo tempore prædium dedisti,
Mallem tu mihi prandium dedisses.

In Gallam. 20

Quæris, cur nolim te ducere, Galla? diserta es.
Sæpe solœcismum mentula nostra facit.

Ad lectorem grauem. 21

Cæsaris Augusti lasciuos liuide uersus
Sex lege, qui tristis uerba Latina legis.
Quid fuit Glaphyran Antonius, hãc mihi pœnã
Fuluia constituit, se quoq; uti futuam.
Fuluiam ego ut futuam? quid si me Manius oret.
Pædicem: faciam? non puto. si sapiam.
Aut futue, aut pugnemus, ait. quid quòd mihi uita
Charior est ipsa mentula? signa canant.
Absoluis lepidos nimirum, Auguste, libellos,
Qui scis Romana simplicitate loqui.

In Lydiam. 22

Lydia tam laxa est, equitis quàm culus aheni.

Quàm celer arguto qui sonat ære trochus,
Quam rota transmisso toties impacta petauro,
Quàm uetus a crassa calceus udus aqua,
Quam quæ rara nagos expectant retia turdos,
Quàm Pompeiano uela negata noto,
Quam quæ Delphitico lapsa est armilla cinædo,
Culcitra Leuconico quam uiduata suo,
Quàm ueteres bracchæ Britonis pauperis: & quàm
Turpe Rauennatis guttur onocrotali.
Hanc in piscina dicor futuisse marina.
Nescio: piscinam me futuisse puto.

In pædiconem masturbantem. 23

Mollia quòd niuei duro teris ore Galesi
Basia, quòd nudo cum Ganymede iaces,
Quis negat hoc nimiũ? sed sit satis: inguina saltem
Parce futurici sollicitare manu.
Læuibus in pueris plus hæc, quàm mentula, peccat:
Et faciunt digiti, præcipitantq; uirum.
Inde tragus, celeresq; pili, mirandaq; matri
Barba, nec in clara balnea luce placent.
Diuisit natura mares: pars una puellis,
Vna uiris genita est. uere parte tua.

In Syllam. 24

Nubere Sylla mihi nulla non lege parata est:
Sed Syllam nulla ducere lege uolo.
Cùm tamen instaret, decies mihi dotis in auro
Sponsa dabis dixi: quid minus esse potest?
Nec futuam quamuis prima te nocte maritus:
Communis tecum nec mihi lectus erit:

Complectarq; meam (nec tu prohibebis) amicam:
Lucillam mittes sed mihi iussa tuam:
Te spectante, dabit nobis lasciua minister
Basia, siue meus, siue erit ille tuus.
Ad cœnam uenies: sed sic diuisa recumbes,
Vt non tangantur pallia nostra tuis.
Oscula rara dabis nobis, & non dabis ultro:
Nec quasi nupta dabis, sed quasi mater anus.
Si potes ista pati, si nil perferre recusas:
Inuenies qui te ducere, Sylla, uelit.

Ad Labullum. 25

Dum te prosequor, & domum reduco,
Aurem dum tibi præsto garrienti,
Et quicquid loqueris, facisq; laudo,
Quot uersus poterant Labulle nasci?
Hoc damnum tibi non uidetur esse,
Si quod Roma legit, requirit hospes,
Non deridet eques, tenet senator,
Laudat causidicus, poëta carpit,
Propter te perit. Hoc Labulle uerum est?
Hoc quisquam ferat ut tibi tuorum
Sit maior numerus togatulorum,
Librorum mihi sit minor meorum?
Triginta propè iam diebus una est
Nobis pagina uix peracta. sic est,
Cùm cœnare domi poëta non nult.

In Linum. 26

Illa salax nimium, nec paucis nota puellis
Stare Lino desyt mentula: lingua cane.

Ad Telesphorum. 27

O mihi grata quies, ô blanda Telesphore cura,
Qualis in amplexu non fuit ante meo,
Basia da nobis uetulo puer uda Falerno:
Pocula da labris facta minora tuis.
Addideris super hæc Veneris si grandia uera:
Esse negem melius cum Ganymede, Ioui.

Ad Flaccum. 28

Ferreus es, si stare potest tibi mentula, Flacce,
Cùm te sex cyathos orat amica dare,
Vel duo frusta rogat cybij, tenuemue lacertum,
Nec dignam toto se botryone putat:
Cui portat gaudens ancilla paropside rubra
Alecem, sed quam protinus illa uoret:
Aut cùm perfricuit frontem, posuitq; pudorem,
Succida palliolo uellera quinq; petit.
Ai mea me librum foliati poscat amica,
Aut uirides gemmas Sardonychasue pares:
Nec nisi prima uelit de Tusco serica uico:
Aut centum aureolos sic uelut æra roget.
Nunc tu uelle putas hæc me dare dona puellæ?
Nolo: sed his ut sit digna puella, uolo.

De Phrenetico medico. 29

Inuasit medicus sica phreneticus Eucli,
Et præcidit Hylan. hic puto sanus erat.

Ad Phyllidem. 30

Languida cùm uetula tractare uirilia dextra
Cœpisti, iugulor pollice, Phylli, tuo.
Nam cùm me uitam, cùm me tua lumina dicis,
Horis

Horis me refici uix puto posse decem.
Blanditias nescis: dabo, dic tibi millia centum,
Et dabo Setini ingera culta soli:
Accipe uina, domum, pueros, chrysendeta, mensas,
Nil opus est digitis: sic mihi Phylli frica.

In Zoilum. 31

Os male causidicis, & dicis olere poëtis.
Sed fellatori, Zoile, peius olet.

In Cæcilium. 32

Atreus Cæcilius cucurbitarum,
Sic illas, quasi filios Thyestæ,
In partes lacerat, secatq; mille.
Gustu protinus has edes in ipso,
Has prima feret, altera'ue cœna,
Has cœna tibi tertia reponet.
Hinc seras epidipnidas parabit:
Hinc pistor fatuas facit placentas:
Hinc & multiplices struit tabellas,
Et notas cariotidas theatris.
Hinc exit uarium coco minutal.
Vt lentem positam, fabamq; credas.
Boletos imitatur, & botellos,
Et caudam cybij, breuesq; menas.
Hinc cellarius experitur artes.
Vt condat uario uafer sapore
In ruta folium capelliana.
Sic implet gabatas, paropsidasq;
Et lenes scutulas, cauasq; lances.
Hoc lautum uocat, hoc putat uenustum,

Vnum ponere ferculis tot assem.

In Nestorem. 33

Nec toga, nec focus est, nec tritus cimice lectus,
Nec tibi de bibula sarta palude teges:
Nec puer, aut senior, nulla est ancilla, nec infans,
Nec sera, nec clauis, nec canis, atq; calix.
Tu tamen affectas, Nestor, dici, atq; uideri
Pauper, & in populo quæris habere locum.
Mentiris, uanoq; tibi blandiris honore.
Non est paupertas, Nestor, habere nihil.

De Prasino. 34

Sæpius ad palmam Prasinus, post fata Neronis,
Peruenit: & uictor præmia plura refert.
Inunc liuor edax: dic te cessisse Neroni.
Vicit nimirum, non Nero, sed Prasinus.

De Apro. 35

Aedes emit Aper sed quas nec noctua uellet
Esse suas: adeò nigra, uetusq; casa est.
Vicinos illis nitidus Maro possidet hortos.
Cœnabit bellè, non habitabit Aper.

Ad Fabullum. 36

Ignotos mihi cùm uoces trecentos,
Quare non ueniam uocatus à te,
Miraris, quererisq;, litigasq;.
Solus cœno, Fabulle, non libenter.

De Caio Proculo. 37

Caius hanc lucem gemma mihi Iulius alba
Signa, iò uotis redditus ecce meis.
Desperasse iuuat, ueluti iam rupta sororum

Fila

Fila minus gaudent, qui timuere nihil.
Hypne quid expectas piger? immortale Falernum
Funde: senem poscunt talia uota cadum.
Quincunces, & sex cyathos, bessemq; bibamus:
Caius ut fiat Iulius, & Proculus.

In Zoilum. 38

Zoile, quid tota gemmam præcingere libra
Te iuuat, & miserum perdere sardonycha?
Annulus iste tuis fuerat modò cruribus aptus:
Non eadem digitis pondera conueniunt.

De mulione surdo. 39

Mulio uiginti uenit modò millibus, Aule.
Miraris pretium tam graue? surdus erat.

In Charidemum. 40

Cunarum fueras motor, Charideme, mearum,
Et pueri custos, assiduusq; comes.
Iam mihi nigrescunt tonsa sudaria barba,
Et queritur labris puncta puella meis.
Sed tibi non creui: te noster uillicus horret:
Te dispensator, te domus ipsa pauet.
Ludere nec nobis, nec tu permittis amare:
Nil mihi uis, & uis cuncta licere tibi.
Corripis, obseruas, quereris, suspiria ducis:
Et uix à ferulis abstinet ira manum.
Si Tyrios sumpsi cultus, unxi'ue capillos,
Exclamas, Nunquam fecerat ista pater.
Et numeras nostros astricta fronte trientes,
Tanquam de cella sit cadus ille tua.
Desine: non possum libertum ferre Catonem.

Esse uirum iam me dicet amica tibi.

De Luperco. 41

Formosam Glycerem amat Lupercus,
Et solus tenet imperatq; solus:
Quam toto tibi mense non fututam
Cum tristis quereretur & roganti
Causam reddere uellet Aeliano:
Respondet, Glyceræ dolere dentes.

De Amynta, ad Lygdum. 42

Indulget pecori nimium dum pastor Amyntas,
Et gaudet fama, luxuriaq; gregis,
Cedentes oneri ramo, syluamq; fluentem,
Vicit, concussas ipse secutus opes.
Triste nemus diræ uetuit supereſſe rapinæ,
Damnauitq; rogis noxia ligna pater.
Pingues, Lygde, sues habeat uicinus Iolas:
Te satis est nobis annumerare cocus.

In Cæcilianum. 43

Viuida cùm poscas epigrammata, mortua ponis
Lemmata. qui fieri Cæciliane potest?
Mella iubes Hyblæa tibi, uel Hymettia nasci:
Et thyma Cecropiæ Corsica ponis api?

In uxorem. 44

Deprensum in puero tetricis me uocibus, uxor,
Corripis, & culum te quoq; habere refers.
Dixit idem quoties lasciuo Iuno Tonanti!
Ille tamen gracili cum Ganymede iacet.
Incurnabat Hylan posito Tirynthius arcu:
Tu Megaram credis non habuisse nates?

Torquebat

Torquebat Phœbum Daphne fugitiua: sed illas
Oebalius flammas iussit abire puer.
Briseis multum quamuis auersa iaceret,
Aeacidæ propior lecto amicus erat.
Parce tuis igitur dare masculanomina rebus:
Teq; puta cunnos uxor habere duos.

Ad senem orbum. 45

Orbus es, & locuples, & Bruto Consule natus:
Esse tibi ueras credis amicitias?
Sunt ueræ sed quas iuuenis, quas pauper habebas.
Qui nouus est, mortem diligit ille tuam.

In Cantharum. 46

Intrasti quoties inscriptæ limina cellæ,
Seu puer arrisit, siue puella tibi,
Contentus non es foribus, neloq; seraq;,
Secretumq; iubes grandius esse tibi.
Oblinitur minimæ si qua est suspicio rimæ,
Punctaq; lasciua quæ terebrantur acu.
Nemo est tam teneri, tam sollicitiq; pudoris,
Qui uel pædicat, Canthare, uel futuit.

In Mæuium. 47

Iam, nisi per somnum, non arrigis: & tibi, Mæui,
Incipit in medios meiere uerpa pedes:
Truditur & digitis pannucea mentula lassis:
Nec leuat exinctum sollicitata caput.
Quid miseros frustra cunnos, culosq; lacessis?
Summa petas: illic mentula uinit anus.

In Blataram. 48

Omnia fœmincis quare dilecta cateruis

Balnea deuitat Blatarae? ne futuat.
Cur nec Pompeia lentus spatiatur in umbra,
Nec petit Inachidos limina? ne futuat.
Cur Lacedæmonio luteum ceromate corpus
Perfundit gelida uirgine? ne futuat.
Cùm sic fœminei generis contagia uitet,
Cur lingit cunnum Blatara? ne futuat.

De Silio. 49

Silius hîc magni celebrat monumenta Maronis,
Fugerat facundi qui Ciceronis habet.
Hæredem, dominumq; sui tumuliq; larisq;:
Non alium mallet, nec Maro, nec Cicero.

In Phyllida. 50

Nulla est hora tibi, qua non me, Phylli, furentem
Despolies: tanta calliditate rapis.
Nunc plorat speculo fallax ancilla relicto:
Gemma uel à digito, uel cadit aure lapis.
Nunc furtiua lucrificri bombycina possunt:
Profertur Cosmi nunc mihi siccus onyx.
Amphora nunc petitur nigri cariosa Falerni.
Expiet ut somnos garrula saga tuos.
Nunc ut emã grădem'ue lupũ, nullum'ue bilibrem
Indixit cœnam diues amica tibi.
Sit pudor, & tandem ueri respectus, & æqui.
Nil tibi, Phylli, nego: nil mihi, Phylli, nega.

De Silio. 51

Iam propè desertos cineres, & sancta Maronis
Nomina qui coleret, pauper & unus erat.
Silius Arpino tandem succurrit agello:

Silius

Silius & uatem non minus ipse tulit.

De Titio. 52

Tanta est, quæ Titio columna pendet,
Quantam Lampsaciæ colunt puellæ.
Hic nullo comitante, nec molesto,
Thermis grandibus, & suis lauatur.
Angustè Titius tamen lauatur.

Ad Iulium Cerealem. 53

Cœnabis bellè, Iuli Cerealis, apud me,
Conditio melior si tibi nulla, ueni.
Octauam poteris seruare: lauabimur unà:
Scis quam sint Stephani balnea iuncta mihi.
Prima tibi dabitur uentri lactuca mouendo
Vtilis, & porris fila resecta suis.
Mox uetus, & tenui maior cordilla lacerto,
Sed quam cum rutæ frondibus oua tegant.
Altera non deerunt tenui uersata fauilla,
Et Velabrensi massa recocta foco,
Et quæ Picenum senserunt frigus olivæ,
Hæc satis in gustu cætera nosse cupis?
Mentiar, ut ueniàs: pisces, conchylia, fumen,
Et cortis saturas atq; paludis aues:
Quæ nec Stella solet rara nisi poncre cœna.
Plus ego polliceor: nil recitabo tibi.
Ipse tuos nobis relegas licet usq; Gigantas
Rara uel æterno proxima Virgilio.

De Claudia Rufina. 54

Claudia cæruleis cùm sit Rufina Britannis
Edita, cur Latiæ pectora plebis habet?

Quale

Quale decus formæ! Romanam credere matres
Italides possint, Atthides esse suam.
Dij bene, quòd sancto peperit fœcunda marito.
Quot sperat generos, quotq; puella nurus!
Sic placeat superis, ut coniuge gaudeat uno,
Et semper natis gaudeat illa tribus.

In Zoilum. 54

Vnguenta, & casias, & olentem funera myrrham,
Tuaq; de medio semicremata rogo,
Et quæ de Stygio rapuisti cinnama lecto,
Improbe de turpi, Zoile, redde sinu.
A pedibus didicere manus peccare proternæ.
Non miror furem, qui fugitiuus erat.

Ad Vrbicum, de Lupo. 55

Hortatur fieri quòd te Lupus, Vrbice, patrem,
Ne credas. Nihil est, quod minus ille uelit.
Ars est captandi, quod nolis, uelle uideri.
Ne facias optat, quod roget, ut facias.
Dicat prægnantem tua se Cosconia tantùm:
Pallidior fiet iam pariente Lupus.
At tu consilio uidearis ut usus amici,
Sic movere, ut factum te putet esse patrem.

In Cheremontem. 56

Quòd nimium laudas, Cheremon Stoice, mortem,
Vis animum mirer, sustiniamq; tuum.
Hanc tibi uirtutem fracta facit urceus ansa,
Et tristis nullo qui tepet igne focus,
Et teges, atq; cimex, & nudi sponda grabati,
Et brevis, atq; eadem nocte, dieq; toga.

O quàm

O quàm magnus homo es, qui fæce rubentis aceti,
Et stipula, & nigro pane carere potes!
Leuconicis, agedum, tumeat tibi culcitra lanis,
Constringat atq; tuos purpura texta toros:
Dormiat & tecum, qui cùm modò cæcuba miscet,
Conuiuas roseo torserat ore puer:
O quàm tu cupies, ter uiuere Nestoris annos!
Et nihil ex ulla perdere luce uoles!
Rebus in angustis facile est contemnere uitam:
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

Ad Seuerum. 57

Miraris, docto quòd carmina mitto Seuero,
Ad cœnam quòd te, docte Seuere, uocem.
Iuppiter ambrosia satur est, & nectare uiuit.
Nos tamen exta Ioui, tura, merumq; damus.
Omnia cùm tibi sint dono concessa deorum,
Si quod habes, non uis, ergo quid accipies?

In Telesphorum. 58

Cùm me uelle uides, tensumq; Telesphore sentis:
Magna rogas. puto me uelle negare, licet.
Et nisi iuratus dixi, dabo. subtrahis illas,
Permittunt in me quæ tibi multa, nates.
Quid si me tonsor, cùm stricta nouacula supra est,
Tunc libertatem, diuitiasq; roget?
Promittam: nec enim rogat illo tempore tonsor,
Latro rogat: res est imperiosa, timor.
Sed fuerit curua cùm tuta nouacula theca,
Frangam tonsori crura, manusq; simul.
At tibi nil faciam: sed lota mentula lana

Λειχάδεσιμ

Δειχάσειν cupidæ dicet auaritiæ.

De Charino. 58

Senos Charinus omnibus digitis gerit,
Nec nocte ponit annulos,
Nec cùm lauatur, causa quæ sit, quæritis?
Dactylothecam non habet.

De Chione & Phlogide. 59

Sit Phlogis, an Chione Veneri magis apta, negrus?
Pulchrior est Chione, sed Phlogis ulcus habet:
Vlcus habet, Priami quod tendere possit alutam,
Quodq; senem Pylium non sinat esse senem.
Vlcus habet, quod habere sua nult quisq; puellam,
Quod sanare Criton, non quod Hygea potest.
At Chione non sentit opus, nec uocibus ullis
Adiuuat: absentem, marmoream ue putes,
Exorare, Dei, si uos tam magna liceret,
Et bona uelletis tam pretiosa dare:
Hoc quod habet Chione corpus, facerctis haberet
Vt Phlogis: & Chione, qd Phlogis ulcus habet.

De Mancio. 60

Lingua maritus, mœchus ore Maneius
Summœnianis inquinatior buccis,
Quem cum fenestra uidit à suburrana
Obscœna nudum lena, fornicem clausit,
Mediumq; mauult basiare, quam summum:
Modò qui per omnes uiscerum tubos ibat
Et uoce certa, conscia q; dicebat,
Puer, an puella matris esset in uentre:
(Gaudete cunni, uestra nanq; res acta est.)

Arrigere linguam non potest fututricem:
Nam dum tumenti morsus hæret in uulua,
Et uagientes intus audit infantes.
Partem gulosam soluit indecens morbus,
Nec purus esse nunc potest, nec impurus.

De Lesbia. 61

Lesbia se iurat gratis nunquam esse fututam.
Verum est: cùm futu nult numerare solet.

In Philomusum. 62

Spectas nos, Philomuse, cùm lauamur:
Et quare mihi tam mutoniati
Sint læues pueri, subinde quæris.
Dicam simpliciter tibi roganti.
Pædicant, Philomuse, curiosos.

In Faustum. 63

Nescio tam multis quid scribas, Fauste, puellis.
Hoc scio, quòd scribit nulla puella tibi.

In Iustinum. 64

Sexcenti cœnant à te Iustine, uocati
Lucis ad officium, quæ tibi prima fuit:
Inter quos, memini, non ultimus esse solebam:
Nec locus hic nobis inuidiosus erat.
Postera sed festæ reddis solennia mensæ.
Sexcentis hodie, cras mihi natus eris.

In Vacerram. 65

Et delator es, & calumniator:
Et fraudator es, & negotiator:
Et sellator es, & lanista. miror
Quare non habeas, Vacerra, numos.

In Maronem. 66

Nil mihi das uiuus: dicis, post fata daturum.
Si non es stultus, scis Maro, quid cupiam.

Ad Mathonem. 67

Parua rogas magnos: sed nõ dãt hæc quoq; magni.
Vt pudeat leuius te, Matho, magna roga.

Epitaphium canis Lydiæ. 68

Amphitheatrales inter nutrita magistros
Venatrix, syluis aspera, blanda domi,
Lydia dicebar, domino fidissima dextra,
Qui non Erigones mallet habere canem,
Nec qui Dictæa Cephalum de gente secutus
Luciferæ pariter uenit ad astra Deæ.
Non me longa dies, nec inutilis abstulit ætas,
Qualia Dulichio fata fuere cani:
Fulmineo spumantis apri sum dente perempta,
Quantus erat Calydon, aut Erymanthe tuus.
Nec queror, infernas quãuis cito rapta sub umbras:
Non potui fato nobiliore mori.

In Tuccam. 69

Vendere Tucca potes centenis millibus emptos?
Plorantes dominos uendere Tucca potes?
Ne te blanditiæ, nec uerba, rudesq́; querelæ,
Nec te dente tuo saucia colla mouent?
Ah facinus, tunica patet inguen utrinq; leuata:
Inspiciturq́; tua mentula facta manu.
Si te delectat numerata pecunia: uende
Argentum, mensas, myrrhina, rura, domum:
Vnde senes seruos, agros & uende paternos:

Ne pueros uendas, omnia uende miser.
Luxuria est emere hos: (quis enim dubitat'ue, negat'ue?)
Sed multò maior uendere luxuria est.

De Læda. 70

Ictericam uetulo se dixerat esse marito,
Et queritur, futui Leda necesse sibi.
Sed flens, atq; gemens, tanti negat esse salutem:
Seq́; refert, potius proposuisse mori.
Vir rogat, ut uiuat, uirides nec deserat annos:
Et fieri, quod iam non facit ipse, sinit.
Protinus accedunt medici, medicæq́; recedunt.
Tollunturq́; pedes, ô medicina grauis.

De Nata. 71

Drauci Nata sui uocat pipinnam,
Collatus cui Gallus est Priapus.

In Lygdum. 72

Venturum iuras semper mihi, Lygde, roganti:
Constituisq́; horam, constituisq́; locum.
Cùm frustra iacui longa prurigine tentus,
Succurrit pro te sæpe sinistra mihi.
Quid precer, ô fallax meritis, & moribus istis?
Vmbellam luscæ Lygde feras dominæ.

De Bacchara. 73

Curandum penem commisit Bacchara Græcus
Riuali medico: Bacchara Gallus erit.

In Cæliam. 74

Theca tectus ahenea lauatur
Tecum, Cælia, seruus ut quid oro,
Non sit cùm citharœdus, aut choraules?

Non uis, ut puto, mentulam uidere.
Quare cum populo lauaris ergo?
Omneis an tibi nos sumus spadones?
Ergo, ne uideare inuidere,
Seruo, Cælia, fibulam remitte.

Ad Pætum. 75

Soluere, Pæte, decem tibi me sestertia cogis,
Perdiderat quoniam Bucco ducenta tibi.
Ne noceant, oro, mihi non mea crimina: tu, qui
Bis centena potes perdere, perde decem.

In Vacerram. 76

In omnibus Vacerra quod conclauibus
Consumit horas, & die tota sedet:
Cœnaturit Vacerra, non cacaturit.

Ad Victorem. 77

Vtere fœmineis complexibus, utere, Victor:
Ignotumq; sibi mentula discat opus.
Flammea texuntur sponsæ: iam uirgo parata est:
Tondebit pueros iam noua nupta tuos.
Pædicare semel cupido dabit illa marito,
Dum metuit teli uulnera prima noui.
Sæpius hoc fieri nutrix, matercq; uetabit:
Et dicent, Vxor, non puer ista tibi est.
Heu quantes æstus, quantos patiere labores,
Si fuerit cunnis res peregrina tibi!
Ergo Suburranæ tironem trade magistræ.
Illa uirum faciet: non bene uirgo docet.

Ad Pætum. 78

Ad primum decimæ lapidem quod uenimus horæ,
Argu-

Arguimur lentæ crimine pigritiæ.
Non est ista quidem, non est mea, sed tua culpa,
Misisti: mulas qui mihi, Pæte, tuas.

De Baiis, ad Flaccum. 79

Littus beatæ Veneris aureum Baias,
Baias superbæ blanda dona Naturæ,
Vt mille laudem Flacce uersibus Baias:
Laudabo digne non satis tamen Baias:
Sed Martialem malo, Flacce, quam Baias.
Optare utrunq; pariter improbi notum est.
Quod si Deorum munere hoc tibi detur,
Quid gaudiorum est, Martialis, & Baiæ?

De Spadone, & sene. 80

Cũ sene cõmune uexat spado Dindymus Aeglen:
Et iacet in medio sicca puella toro.
Viribus hic operi non est, hic utilis armis.
Ergo sine effectu prurit uterq; labor.
Supplex illa rogat pro se, miserisq; duobus,
Hunc iuuenem facias, hunc Cytherea uirum.

De Philostrato, ad Nymphas. 81

Si nuessanis conuiua Philostratus undis
Conductum repetens, nocte iubente, larem,
Pene imitatus obit scuis Elpenora satis,
Præceps per longos dum ruit usq; gradus.
Non esset, Nymphæ, tam magna pericula passus,
Si potius uestras ille bibisset aquas.

Ad Sosibianum. 82

Nemo habitat gratis, nisi dives, & orbus apud te.
Nemo domum pluris, Sosibiane, locat.

Ad Antiochum tonsorem. 83

Qui nondum Stygias descendere quærit ad undas,
Tonsorem fugiat, si sapit, Antiochum.
Alba minus senis laceramur brachia cultris,
Cùm furit ad Phrygios entheа turba modos.
Mitior implicitas Alcon secat enterocelas,
Fractaq; fabrili dedolat ossa manu.
Tondeat hic inopes Cynicos, & Stoica menta,
Collaq; pulverea nudet equina iuba.
Hic miserum Scythica sub rupe Prometheа radat:
Carnificem nudo pectore poscet auem.
Ad matrē fugiet Pētheus, ad Menadas Orpheus:
Antiochi tantum barbara tela sonent.
Hæc quæcunq; meo numerasti stigmata mento,
In uetuli picta qualia fronte sedent,
Non iracundis fecit grauis unguibus uxor:
Antiochi ferrum est, & scelerata manus.
Vnus de cunctis animalibus hircus habet cor:
Barbatus uiuit, ne ferat Antiochum.

In Zoilum. 84

Sydere percussa est subito tibi, Zoile, lingua,
Dum lingis cunnum? Zoile, nunc futues.

In Parthenopæum. 85

Leniat ut fauces medicus, quas aspera uexat
Assiduè tussis, Parthenopæe, tibi,
Mella dari, nucleosq; iubet, dulcesq; placentas.
Et quicquid pueros non sinit esse truces.
At tu non cessas, totis tussire diebus.
Non est hæc tussis, Parthenopæe: gula est.

Ad Charidemum. 86

Dives eras, quondam: sed tunc prædicor fuisti.
Et tibi nulla diu fœmina nota fuit.
Nunc sectaris anus. O quantum cogit egestas!
Illa fututorem te, Charideme, facit.

De Carisiano, ad Lupum. 87

Multis iam, Lupe, posse se diebus
Prædicare negat Carisianus.
Causam cùm modo quærerent sodales,
Ventrem dixit habere se solutum.

Ad Pollam. 88

Intactas quare mittis mihi, Polla, coronas?
Ne uexatas malo tenere rosas.

In Chrestillum. 89

Carmina nulla probas, molli quæ limite currunt,
Sed quæ per salebras, altaq; saxa cadunt.
Et tibi Mæonio quod carmine maius habetur
Lucilli Columella hic situs Metrophanes:
Attonitusq; legis, Ferrai, Frugiferai,
Accius & quicquid, Pacuuiusq; uomunt:
Vis imiter ueteres, Chrestille, tuosq; poëtas?
Dispeream si sis, nenia quid sapiat.

Epitaphium Canaces. 90

Aeolidon Canace iacet hoc tumulata sepulcro,
Vltima cui paruæ septima uenit hyems.
Ah scelus, ah facinus, properas quid flere uiator?
Non licet hic uitæ de brevitate queri.
Tristius est leto leti genus: horrida multis
Abstulit, & tenero sedit in ore lucs:

Ipsaq; crudeles ederunt oscula morbi:
Nec data sunt nigris tota labella rogis.
Si tam præcipiti fuerant uentura uolatu,
Debuerant alia fata uenire uia,
Sed mors uocis iter properauit cludere blandæ:
Ne posset duras flectere lingua Deas.

In Zoilum. 91

Mentitur, qui te uitiosum, Zoile, dixit.
Non uitiosus homo es, Zoile: sed uitium.

De Theodoro. 92

Pierios uatis Theodori flamma penates
Absulit: hoc Musis, hoc tibi, Phœbe, placet?
O scelus, ô magnum facinus, crimenq; Deorum,
Non arsit pariter quòd domus, & dominus.

In Verpum æmulum. 93

Quòd nimium lucs nostris & ubiq; libellis
Detrahis, ignosco: Verpe poeta, sapis.
Hoc quoq; non curo, quod tu mea carmina carpis:
Corripias: & sic Verpe poeta sapis.
Illud me cruciat Solymis quòd natus in ipsis,
Pædicas puerum, Verpe poeta, meum.
Ecce negas, iurasq; mihi per templa Tonantis:
Non credo: iura Verpe per Anchialum.

Ad Flaccum. 94

Incideris quoties in basia fellatorum,
In solio puto te mergere, Flacce, caput.

In Germanum. 95

Martia nõ Rhenus salit hic, Germane: quid obstat
Et puerum prohibes diuitis imbre lacus?
Barbare

Barbare, non debet submoto ciue ministro,
Captiuam uictrix unda leuare sitim.

In Thelesinam. 96

Vna nocte quater possum: sed quatuor annis
Si possim, peream, te Thelesina semel.

Ad Bassum. 97

Effugere non est, Basse, basiatores.
Instant, morantur, persequuntur, occurrunt:
Et hinc & illinc, usquequaq;, quacunq;.
Non ulcus acre, pustulæue lucentes,
Nec trisle mentum sordidiq; lichenes,
Nec labra pingui delibuta cerote,
Nec congelati gutta proderit nasi.
Et æstuantem basiant, & algentem,
Et nuptiale basium reseruantem.
Non te cucullis asseret caput tectum,
Lectica nec te tuta pelle, ne loq;:
Nec uendicabit sella sæpius clausa.
Rimas per omneis basiator intrabit.
Non Consulatus ipse, non Tribunatus,
Sæuiq; fasces, nec superba clamosi
Lictoris abiget uirga basiatorem.
Sedeas in alto tu licet tribunali,
Et è curuli iura gentibus reddas:
Ascendet illa basiator atq; illa
Febricitantem basiabit & flentem.
Dabit oscitanti basium, natantiq;.
Dabit & cacanti. Remedium mali solum est,
Facias amicum, basiare quem nolis.

Ad Lesbiam. 98

De cathedra quoties surgis (tam sæpe notaui,)
Pædicant miseram, Lesbia, te tunicæ.
Quas cùm conata es dextra, conata sinistra
Vellere, cum lacrymis eximis & gemitu.
Si constringantur gemina symplegade culi,
Et Minyas intrant, Cyaneasq; nates.
Emendare cupis uitium deformè? docebo,
Lesbia, nec surgas censeo nec sedeas.

Ad Flaccum. 99

Habere amicam nolo, Flacce, subtilem,
Cuius lacertos annuli mei cingant,
Quæ claue nudo, radat, & genu pungat:
Cui serra lumbis, cuspis eminet culo.
Sed idem amicam nolo mille librarum.
Carnarius sum, pinguiarius non sum.

Ad Flaccum. 100

Thaida tam tenuem potuisti, Flacce, uidere?
Tu puto, quod non est, Flacce, uidere potes.

In Lydiam. 101

Non est mentitus, qui te mihi dixit habere
Formosam carnem, Lydia, non faciem.
Est ita, si taceas, & si tam muta recumbas,
Quam silet in ceraultus, & in tabula.
Sed quoties loqueris, carnem quoq;, Lydia, perdis:
Et sua plus nulli, quam tibi lingua, nocet.
Audiat Ædilis ne te, uideatq;, caueto,
Portentum est, quoties cœpit imago loqui.

Ad

Ad Sophronium. 102

Tanta tibi est animi probitas, orisq;, Sophroni,
Vt mirer, fieri te potuisse patrem.

In Vxorem. 103

Vxor, uade foras, aut moribus utere nostris.
Non sum ego nec Curius, nec Numa, nec Tatius.
Me iucunda iuuant tractæ per pocula noctes:
Tu properas pota surgere tristis aqua.
Tu tenebris gaudes: me ludere teste luceruna,
Et iuuat admissa rumpere luce latus.
Fascia te, tunicæq; tegunt, obscuraq; palla:
At mihi nuda satis nulla puella patet.
Basia me capiunt, blandas imitata columbas:
Tu mihi das, auiæ qualia mancè soles.
Nec motu dignaris opus nec uoce iuuare,
Nec digitis: tanquam tura, merumq; pares.
Masturbabantur Phrygij post ostia serui,
Hectoreo quoties sederat uxor equo.
Et, quamuis, Ithaco stertente, pudica solebat
Illic Penelope semper habere manum.
Pædicare negas: dabat hoc Cornelia Gracco,
Iulia Pompeio, Portia Brute tibi.
Dulcia Dardanio nondum miscente ministro
Pocula, Iuno fuit pro Ganymede Ioui.
Si te delectat grauitas, Lucretia toto
Sis licet usq; die: Thaida nocte uolo.

Ad Garricum. 104

Mittebas libram: quadrantem, Garrice, mittis.
Saltem semissem, Garrice, solue mihi.

Ad Albium Maximum. 105

Albi Maxime, si uacabit hora,
Hoc tantum lege: nanq; & occupatus,
Et non es nimium laborioſus.
Tranſis hos quoq; quattuor ſapiſti.

Ad Septitianum. 106

Explicitum nobis uſq; ad ſua cornua librum,
Et quaſi perfectum, Septitiane, refers.
Omnia legiſti: credo, ſcio, gaudeo, uerum eſt.
Perlegi libros ſic ego quinq; tuos.

Ad Lectorem. 107

Quamuis tam longo poſſis ſatur eſſe libello,
Lector: adhuc à me diſlicha pauca petis.
Sed Lupus uſuram, puerig; diaria poſcunt.
Lector ſolue. Taces, diſſimulasq;? Vale.

M. VAL. MARTIALIS
EPIGRAMMATON
LIBER XII.

SCIO me patrocinium debere contumaciſſimæ triennij deſidiæ: quæ abſolucda nõ eſſet inter illas quoq; occupationes urbicas, quibus facilius conſequimur, ut moleſti potius, quam officioſi eſſe uideamur: nedum in hac Prouinciali ſolitudine, ubi niſi etiam intemperãter ſtudeamus, & ſine ſolatio, & ſine excuſatione ſeceſſimus. Accipe ergo rationem, in qua hoc maximum, & primum

primum eſt, quòd ciuitatis aures, quibus aſſuecueram, quæro, & nidor mihi alieno foro lituare. Siquid eſt enim in libellis meis quod placeat, diſtauit auditor. Illam iudiciorum ſubtilitatem, illud materiarum ingenium, bibliothecas, theatra conuictus, in quibus ſtudere ſe uoluptatibus non ſentiunt: ad ſummam, omnia ea, quæ delicatè reliquimus, deſideramus, quaſi deſtituti. Accedit his municipalium rubigo dentium, & iudicij loco liuor, & unus, aut alter mali, in puſillo loco multi, aduerſus quos difficile eſt habere quotidie bonum ſtomachum. Ne mireris igitur abiecta ab indignante, quæ à geſtiente fieri ſolebant. ne quid tamen & aduenienti tibi ab urbe, & exigenti negarem, cui non reſero gratiam, ſi tantum ea præſto, quæ poſſim: imperabo mihi, cui indulgere conſueueram, & ſtatis pauciſſimis diebus, ut familiariſſimas mihi aures tuas exciperem, aduentoria ſua. Tu uelim iſta, quæ tantum apud te non periclitantur, diligenter æſtimare, & excutere non graueris, & quod tibi difficillimum eſt, de nugis noſtris iudices nitore ſepoſito: ne Romam, ſi ita decreueris, non Hiſpanicuſem librum mittamus, ſed Hiſpanum.

Ad Priſcum. 1

Retia dum ceſſant, latratoresq; Moloſſi,
Et non inuento ſylua quieſcit apro:
Otia, Priſce, breui poteris donare libello.
Hora nec æſtiua eſt, nec tibi tota perit.

Ad

Ad sua Carmina. 2

Quæ modò littoreos ibatis carmina Pyrgos,
Ite sacra, iam non puluerulenta uia est.

Ad librum suum. 3

Ad populos mitti qui nuper ab urbe solebas,
Ibis tu Romam nunc peregrine liber,
Auriferi de gente Tagi, tetricíq; Salonis:
Dat patrios manes, quæ mihi terra potens,
Non tamen hospes eris, nec iam potes aduena dici
Cuius habet fratres tot domus alta Remi.
Iure tuo, uenerãda noui pete limina templi,
Reddita Pierio sunt ubi templa choro.
Vel si malueris prima gradiere Suburra,
Atria sunt illic Consulis alta mei.
Laurigeros habitat facundus Stella penates,
Clarus Hianteæ Stella fititor aquæ.
Fons ibi Castalius uitreo torrente superbit,
Vnde nomen dominas sæpe bibisse ferunt.
Ille dabit populo, patribusq; equitiq; legendum:
Nec nimium siccis perleget ipse genis.
Quid titulum poscis? uersus duo, tres'ue legantur:
Clamabunt omnes te liber esse meum.

Ad Priscum Terentium. 4

Quod Flacco, Varioq; fuit, summoq; Maroni,
Mecœnas, atauis regibus ortus eques:
Gentibus, & populis hoc te mihi, Prisce Terenti,
Fama fuisse loquax, chartaq; dicet anus.
Tu facis ingenium: tu, si quid posse uidemur,
Tu das ingenuæ munera pigritiæ.

Ad

Ad Cæsarem. 5

Longior undecimi nobis, decimiq; libelli
Arctatus labor est, & breue rasit opus.
Plura legant uacui, quibus otia tuta dedisti:
Hæc lege tu, Cæsar: forsan & illa leges.

In commendationem Neruæ. 6

Contigit Ausoniæ procerum mitissimus aulæ
Nerua: licet toto nunc Helicone frui.
Recta Fides, hilaris Clementia, cauta, potestas
Iam redeunt: longi tergа dedere metus.
Hoc populi, gentesq; tuæ, pia Roma precantur:
Dux tibi sit semper talis, & iste diu.
Mallet animi quem rarus habet morumq; tuorum,
Quos Numa, quos hilaris posset habere Cato.
Largiri, præstare, breues extendere census,
Et dare, quæ faciles uix tribuere Dei.
Nunc licet, & fas est sed tu sub principe duro,
Temporibusq; malis, ausus es esse bonus.

De Lygea. 7

Toto uertice quot gerit capillos,
Annos si tot habet Lygea, trima est.

In commendationem Traiani. 8

Terrarum dea, gentiumq; Roma,
Cui par est nihil, & nihil secundum.
Traiani modò læta cùm futuros
Tot per secula computaret annos,
Et fortem, iuuenemq; Martiumq;
In tanto duce militem uideret,
Dixit Præside glorioſa tali.

Parili

Parthorum proceres, ducesq; Scytæ,
Thraces, Sauromatæ, Getæ, Britanni,
Possum ostendere Cæsarem, uenite.

Ad Cæsarem. 9

Palma regit nostros, mitissime Cæsar, Iberos:
Et placido fruitur pax peregrina iugo.
Ergo agimus læti tanto pro munere grates:
Missisti mores in loca nostra tuos.

De Africano. 10

Habet Africanus millies, tamen captat.
Fortuna multis dat nimis, satis nulli.

Mittit librum ad Parthenium. 11

Parthenio dic, Musa, tuo, nostroq; salutem:
Nam quis ab Aoniæ largius amne bibit?
Cuius Pyrenæo lyra clarior exit ab antro?
Quem plus Picrio de grege Phœbus amat?
Et si forte (sed hoc uix est sperare) uacabit:
Tradat ut ipse duci carmina nostra, roga.
Quattuor & tantũ, timidumq; breuemq; libellum
Commendet uerbis: hunc tua Roma legit.

In Posthumum. 12

Omnia promittis, cum tota nocte bibisti:
Manè nihil præstas: Posthume, manè bibe.

Ad Auctum. 13

Genus Auctæ lucri diuites habent iram.
Odisse, quam donare, uilius constat.

Ad Priscum. 14

Parcius utaris, moneo, rapiente uoredo
Prisce: nec in lepores tam uiolentus eas.

Sæpe

Sæpe satis fecit prædæ uenerator, & acri
Decidit exc[illegible]sus, nec rediturus equo.
Insidias & campus habet: nec fossa, nec agger,
Nec sint saxa licet, fallere plana solent.
Non deerunt qui tanta tibi spectacula præstent:
Inuidia fati sed leniore cadunt.
Si te delectant animosa pericula Tuscis,
(Tutior est uirtus) insidiemur apris.
Quid te fræna iuuant, temeraria? sæpius illis,
Prisce, datiũ est equitem rumpere, quam leporem.

Adulatorium. 15

Quicquid Parrhasia nitebat aula,
Donatum est oculis, Deisq; nostris.
Miratur Scythicas uirentis auri
Flammas Iuppiter: & stupet superbas
Regis delicias grauesq; lusus.
Hæc sunt pocula, quæ decent Tonantem,
Hæc sunt, quæ Phrygium decent ministrum.
Omnes cum Ioue nunc sumus beati.
At nuper (pudet, ac pudet fateri)
Omnes cum Ioue pauperes cramus.

In Labienum. 16

Addixti, Labiene, treis agellos:
Emisti, Labiene, treis cinædos:
Pædicas, Labiene, treis agellos.

In Lentinum. 17

Quare tam multis à te, Lentine, diebus
Non abeat febris, quæris, & usq; gemis,
Gestatur tecum sella, pariterq; lauatur:

Cœnat

Cœnat boletos, ostrea, sumen, aprum:
Ebria Setino fit sæpe, & sæpe Falerno:
Nec nisi post niueam Cæcuba potat aquam.
Circumfusa rosis, & nigra recumbit amomo:
Dormit & in pluma, purpureoq; toro.
Cùm sic tam pulchrè, tam bellè uiuat apud te,
Ad Dammam potius uis tua febris eat?

Ad Iuuenalem. 18

Dum tu forsitan inquietus erras
Clamosa, Iuuenalis, in Suburra,
Aut collem dominæ teris Dianæ:
Dum per limina te potentiorum
Sudatrix toga uentilat, uagumq;
Maior Cælius, & minor fatigant:
Me multos repetita post Decembres
Accepit mea, rusticumq; fecit
Auro bilibis, & superba ferro.
Hic pigri colimus labore dulci
Botrodum, Plateamq; Celtiberis
Hæc sunt nomina crassiora terris.
Ingenti fruor, improboq; somno.
Quem nec tertia sæpe rumpit hora.
Et totum mihi nunc repono, quicquid
Terdenos uigilaueram per annos,
Ignota est toga: sed datur petenti
Rupta proxima uestis, è cathedræ
Surgentem focus excipit superba,
Vicini strue cultus iliceti,
Multa uillica quem coronat olla.

Venator sequitur, sed ille, quem tu
Secreta cupias habere sylua.
Dispensat pueris, rogatq; longos
Læuis ponere uillicus capillos.
Sic me uiuere sic iuuat perire.

De Aemilio. 19

In thermis sumit lactucas, oua, lacertum:
Et cœnare foris se negat Aemilius.

Ad Fabullum, de Themisonte. 20

Quare non habeat Fabulle, quæris
Vxorem Themisonis habet sororem.

Ad Marcellam. 21

Municipem rigidi quis te Marcella, Salonis,
Et genitam nostris quis putet esse locis?
Tam rarum, tam dulce sapis: pallatia dicent,
Audierint si te uel semel esse suam.
Nulla nec in media certabit nata Suburra,
Nec Capitolini collis alumna tibi.
Nec citò ridebit peregrini gloria partus,
Romanam deceat quam magis esse nuum.
Tu desiderium dominæ mihi mitius urbis
Esse iubes: Romam tu mihi sola facis.

De Philænide. 22

Quam sit Fusca Philænis indecenter,
Vis dicam breuiter tibi, Fabulle?
Esset cæca decentior Philænis.

In Læliam. 23

Dentibus, atq; comis (nec te pudet) uteris emptis.
Quid facies oculo, Lælia? non emitur.

Ad Iuuencum, de Coninno curru. 24

O iucunda, Couinne, solitudo
Carruca magis, essedoq; gratum,
Facundi mihi munus Heliani:
Hic mecum licet hic Iuuence, quicquid
In buccam tibi uenerit, loquaris.
Non uector Libyci niger Caballi,
Succinctus neq; cursor antecedit.
Nusquam est multo, manuli tacebunt.
O si conscius esset hic Anitus,
Aurem non ego tertiam timerem.
Totus quàm bene sic dies abiret!

In Thelesinum. 25

Cùm rogo te numos sine pignore, Non habeo, inquis.
Idem, si pro me spondet agellus, habes.
Quod mihi non credis ueteri, Thelesine, sodali,
Credis colliculis, arboribusq; meis?
Ecce reum Carus te detulit: adsit agellus,
Exilij comitem queris? agellus eat.

In auarum amicum. 26

Sexaginta teras, cùm lima manè senator,
Esse tibi uideor desidiosus eques.
Quod non à prima discurram luce per urbem,
Et referam lassis basia mille domum.
Sed tu purpureis ut des nouà nomina fastis,
Aut Numidùm gentes, Cappadocumue petas:
At mihi, quem cogis medios abrumpere somnos,
Et matutinum ferre, patiq; lutum,
Quid petitur? rupta cùm pes uagus exit aluta,

Et subitus crassè decidit imber aquæ,
Nec uenit ablatis clamator uerna lacernis,
Accedit gelidam seruus ad auriculam:
Et, rogat ut cœnes secum Lætorius, inquit,
Viginti numis non ego malo fauem?
Quod sit cœna mihi, tibi sit prouincia merces?
Et faciamus idem, nec mereamur idem?

In Seniam. 27

A latronibus esse te fututam
Dicis, Senia: sed negant latrones.

In Cinnam. 28

Poto ego sextantes: tu potas, Cinna, deuncem:
Et quereris, quòd non, Cinna, bibamus idem.

De Hermogene fure, ad Ponticum. 29

Hermogenes tantus mapparum, Pontice, fur est,
Quantus numorum uix, puto, Massa fuit.
Tu licet obserues dextram, teneasq; sinistram,
Inueniet, mappam qua ratione trahat.
Ceruinus gelidum sorbet sic halitus anguem:
Casuras alitè sic rapit Iris, aquas.
Nuper cùm Myrino peteretur, mensio læso,
Subduxit mappas quattuor Hermogenes.
Cretatam Prætor cùm uellet mittere mappam,
Prætori mappam surripit Hermogenes.
Attulerat mappam nemo, dum surta timentur:
Mantile è mensa surripit Hermogenes.
Hoc quoq; si deerit, medios distringere lectos,
Mensarumq; pedes non timet Hermogenes.
Quamuis non modico caleant spectacula sole,

Vela reducuntur, cùm uenit Hermogenes.
Festinant trepidi substringere carbasa nautæ,
Ad portum quoties paruit Hermogenes.
Linigeri fugiunt calui, sistrataq; turba,
Inter adorantes cùm stetit Hermogenes.
Ad cœnã Hermogenes mappã non attulit unquã?
A cœna semper rettulit Hermogenes.

De Apro. 30

Siccus, sobrius est Aper: quid ad me?
Seruum sic ego laudo, non amicum.

De hortis Marcellæ uxoris. 31

Hoc nemus, hi fontes, hæc textilis umbra supini
Palmitis, hoc riguæ ductile flumen aquæ,
Prataq; nec bifero cessura rosaria Pæsto,
Quodq; uiret Iani mense, nec alget olus,
Quoq; natat clusis anguilla domestica lymphis,
Queq; gerit similes candida turris aues,
Munera sunt dominæ: post septima lustra reuerso
Has Marcella domos, paruaq; regna dedit.
Si mihi Nausicaë patrios concederet hortos,
Alcinoo possem dicere, malo meos.

In Vacerram. 32

O Iuliarum dedecus Calendarum,
Vidi Vacerra sarcinas tuas, uidi:
Quas non retentas pensione pro bima
Portabat uxor rufa crinibus septem,
Et cum sorore cana mater ingenti,
Furias putaui nocte ditis emersas.
Has tu priores frigore, & fame siccus,

Et non recenti pallidus magis buxo,
Irus tuorum temporum sequebaris.
Migrare cliuum crederes Aricinum.
Ibat tripes grabatus, & bipes mensa:
Et cum lucerna, corneoq; cratere
Matella curto rupta latere meiebat.
Focum ferentis suberat amphoræ cerui.
Fuisse gereres, aut inutiles mænas
Odor impudicus urcei fatebatur.
Qualem marinæ misit aura piscinæ.
Nec quadra deerat casei Tolosatis,
Quadrima nigri nec corona pulei,
Caluæq; restes allioq; cepisq;.
Nec plena turpi matris olla resina,
Summœnianæ qua pilantur uxores.
Quid quæris ædes, illicosq; derides,
Habitare gratis, ô Vacerra, cùm possis?
Hæc sarcinarum pompa conuenit ponti.

De Labieno. 33

Vt pueros emeret, Labienus uendidit hortos.
Nil nisi ficetum nunc Labienus habet.

Ad Iulium. 34

Triginta mihi, quattuorq; messes
Tecum, si memini, fuere, Iuli:
Quarum dulcia mista sunt amaris,
Sed iucunda tamen fuere plura.
Et si calculus omnis huc & illuc
Diuersus, bicolorq; digeratur,
Vincet candida turba nigriorem.

Si uitare uoles acerba quædam,
Et tristes animi cauere morsus,
Nulli te facias nimis sodalem.
Gaudebis minus, & minus dolebis.

Ad Callistratum. 35

Tanquam simpliciter mecum, Callistrate, uinas,
Dicere præcisum te mihi sæpe soles.
Non es tam simplex, quam uis, Callistrate, credi.
Nam quisquis narrat talia, plura tacet.

In Labullum. 36

Libras quatuor, aut duas amico,
Argentemq; togam, breuemq; lenam,
Interdum aureolos manu crepantes,
Possint ducere qui duas Calendas.
Quòd nemo, nisi tu, Labulle, donas:
Non es, crede mihi, bonus, quid ergo?
Vt uerum loquar, optimus malorum.
Pisones, Senecasq;, Memmiosq;,
Et Crispos mihi redde, sed priores.
Fies protinus ultimus bonorum.
Vis cursu, pedibusq; gloriari?
Tigrim uince, leuemq; Passerinum.
Nulla est gloria præterire asellos.

In nasutum. 37

Nasutus nimium cupis uideri.
Nasutum uolo nolo, polypo sum.

Ad Candidum. 38

Hunc, qui fœmineis noctesq; diesq; cathedris
Incedit tota notus in urbe nimis,

Crine

Crine nitens, niger unguento, perlucidus ostro,
Ore tener, latus pectore, cruce glaber,
Vxori qui sæpe tuæ comes improbus hæret:
Non est quod timeas, Candide, non futuit.

In Sabellum. 39

Odi te, quia bellus es, Sabelle.
Res est putida bellus, & Sabellus.
Bellum deniq; malo, quam Sabellum.
Tabescas utinam, Sabelle, belle.

In Pontilianum. 40

Mentiris, credo: recitas mala carmina, laudo:
Cantas, canto: bibis, Pontiliane, bibo.
Pedis, dissimulo: gemma uis ludere, uincor.
Res una est, sine me quam facis, & taceo.
Nil tamen omnino præstas mihi. Mortuus, inquis,
Accipiam bene te, nil uolo, sed morere.

In Tuccam. 41

Non est, Tucca, satis, quòd es gulosus:
Et dici cupis, & cupis uideri.

De Callistrato, & Aphro. 42

Barbatus rigido nupsit Callistratus Aphro,
Hac, qua lege uiro nubere uirgo solet.
Præluxere faces, uelarunt flammea uultus:
Nec tua defuerant uerba Thalasse tibi.
Dos etiam dicta est, nondum tibi Roma uidetur
Hoc satis? expectas nunquid & ut pariat?

In Sabellum. 43

Facundos mihi de libidinosis
Legisti nimium, Sabelle, uersus,

Quales nec Didymi sciunt puellæ,
Nec molles Elephantidos libelli.
Sunt illic Veneris nouæ figuræ,
Quales perditus audiat tutor.
Præstent & taceant quid exoleti,
Quo symplegmate quinq; copulentur,
Qua plures teneantur a catena,
Extinctam liceat quid ad lucernam,
Tanti non erat esse te diserti.

Ad M. Vnicum. 44

Vnice, cognato iunctum mihi sanguine nomen,
Quique geris studijs corda propinqua meis,
Carmina cum facias soli cedentia fratri,
Pectore non minor es, sed pietate prior.
Lesbia cum tenero te posset amare Catullo:
Te post Nasonem blanda Corinna sequi.
Nec deerant Zephyri, si te dare uela iuuarent:
Sed tu littus amas, hoc quoq; fratris habes.

Ad Phœbum. 45

Hœdina tibi pelle contegenti
Nudæ tempora, uerticemq; caluæ,
Festiuè tibi, Phœbe, dixit ille,
Qui dixit, caput esse calceatum.

Ad Classicum. 46

Vendunt carmina Gallus, & Lupercus.
Sanos, Classice, nunc nega poëtas.

In habentem uarios mores. 47

Difficilis facilis, iucundus, acerbus es idem:
Nec tecum possum uiuere, nec sine te.

In lautum inuitatorem. 48

Boletos, & aprum si tanquam nilia ponis,
Et non esse putas hæc mea uota: uolo.
Si fortunatum fieri me credis: & hæres
Vis scribi, propter quinq; Lucrina: uale.
Lauta tamen cœna est: fateor lautissima: sed cras
Nil erit, immo hodie, protinus immo nihil.
Quod sciat infelix damnatæ spongia uirgæ,
Vel quicunq; canis iunctaq; tecta uiæ.
Mullorum, leporumq;, & suminis exitus hic est,
Sulphureusq; color, carnificesq; pedes.
Non Albana mihi sit comessatio tanti,
Nec Capitolinæ, pontificumq; dapes.
Imputet ipse Deus nectar mihi, fiet acetum,
Et Vaticani perfida uappa cadi.
Conuiuas alios cœnarum quære magister,
Quos capiant mensæ regna superba tuæ.
Me meus ad subitas inuitet amicus ofellas:
Hæc mihi, quam possum reddere, cœna placet.

Ad pædagogum. 49

Crinitæ, Line, pædagoge turbæ,
Rerum quem dominum uocat suarum,
Et credit cui Posthumilla dines
Gemmas, aurea, uina, concubinas:
Sic te, perpetua fide probatum,
Nulli non tua præferat patrona:
Succurras misero precor furori,
Et serues aliquando negligenter
Illos, qui malè cor meum perurunt:

Quos & noctibus, & diebus opto
In nostro cupidus sinu uidere,
Formosos, niueos, pares, gemellos,
Grandes, non pueros, sed uniones.

In habentem amœnas ædes. 50

Daphnonas, platanos, ac aërias cyparissos,
Et non unius balnea solus habes.
Et tua centenis stat porticus alta columnis:
Calcatusq; tuo sub pede lucet onyx.
Puluereumq; fugax hippodromon ungula plaudit.
Et pereuntis aquæ fluctus ubiq; sonat.
Atria longa patent: sed nec cœnantibus usquam,
Nec somno locus est. quàm bene non habitas.

De Fabullo. 51

Tam sæpe nostrum decipi Fabullum, quid
Miraris, Aule? semper homo bonus tiro est.

Ad Semproniam. 52

Tempora Pieria solitus redimire corona,
Nec minus attonitis uox celebrata reis,
Hic situs est, hic ille tuus, Sempronia, Rufus:
Cuius & ipse tui flagrat amore cinis.
Dulcis in Elysio narraris fabula campo:
Et stupet ad raptus Tyndaris ipsa tuos.
Tu melior, quæ deserto raptore redisti:
Illa uirum uoluit nec repetita sequi.
Ridet, & Iliacos audit Menelaus amores:
Absoluit Phrygium uestra rapina Parin.
Accipient olim cùm te loca læta piorum,
Non erit in Stygia notior umbra domo.

Non

Non aliena uidet, sed amat Proserpina raptas:
Ista tibi dominam conciliauit amor.

In Paternum. 53

Numi cùm tibi sint, opesq; tantæ,
Quantas ciuis habet, Paterne, rarus:
Largiris nihil, incubasq; gazæ,
Vt magnus draco, quem canunt poëtæ
Custodem Scythici fuisse luci.
Sed causa, ut memoras, & ipse iactas,
Diræ filius est rapacitatis.
Ecquid tu fatuos, rudesq; quæris,
Illudas quibus, auferasq; mentem?
Huic semper uitio pater fuisti.

In Zoilum. 54

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læsus,
Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

Ad puellas. 55

Gratis qui dare uos iubet, puellæ,
Insulsissimus, improbissimusq; est.
Gratis ne date, basiate gratis.
Hoc Aegle negat, hoc auara uendit.
Sed uendat bene, basiare quantum est?
Hoc uendit quoq;, nec leui rapina:
Aut libram petit illa Cosmiani,
Aut binos quater à noua moneta,
Ne sint basia muta, nec maligna,
Nec clusis aditum negent labellis,
Humanè facit hoc tamen: sed unum est,
Gratis quæ dare basium recusat,

Grat

Gratis lingere non recusat Aegle.

In Polycarmum. 56

Aegrotas uno decies, aut sæpius anno:
Nec tibi, sed nobis hoc, Polycarme, nocet.
Nam quoties surgis, soteria poscis amicos.
Sit pudor: ægrota iam, Polycarme, semel.

Ad Sparsum. 57

Cur sæpe sicci parua rura Nomenti,
Laremq; uillæ sordidum petam, quæris?
Nec cogitandi spatia, nec quiescendi
In urbe locus est pauperi. Negant uitam
Ludi magistri mane, nocte pistores,
Aerariorum marculi die toto.
Hinc otiosus sordidam quatit mensam
Neroniana numularius massa:
Illinc paludis malleator Hispanæ
Tritum nitenti fuste uerberat saxum.
Nec turba cessat entheata Bellonæ,
Nec fasciato naufragus loquax trunco,
A matre doctus nec rogare Iudæus,
Nec sulfuratæ lippus institor mercis.
Numerare pigri damna qui potest somni,
Dicet quot æra uerberent manus urbis,
Cùm secta Colcho luna uapulat rhombo.
Tu, Sparse, nescis ista, nec potes scire,
Petilianis delicatus in regnis,
Cui plana summos despicit domus montes,
Et rus in urbe est, uinitorq; Romanus,
Nec in Falerno monte maior autumnus,

Intraq; limen clausus essedo cursus,
Et in profundo somnus, & quies nullis
Offensa linguis, nec dies nisi admissus.
Nos transeuntis risus excitat turbæ,
Et ad cubile est Roma: tædio fessis
Dormire quoties libuit, imus ad illam.

Ad Alaudam. 58

Ancillariolum tua te uocat uxor, & ipsa
Lecticariola est: ecastis, Alauda, pares.

De importunis basiatoribus. 59

Tantum dat tibi Roma basiorum
Post annos modò quindecim reuerso,
Quantum Lesbia non dedit Catullo.
Te uicinia tota, te pilosus
Hircoso premit osculo colonus.
Hinc instat tibi textor, inde fullo,
Hinc sutor modò pelle basiata,
Hinc menti dominus pediculosi,
Hinc defiosulusq; & inde lippus,
Fellatorq;, recensq; cunnilingus.
Iam tanti tibi non fuit redire.

Ad suum natalem. 60

Martis alumne dies, roseam quo lampada primum,
Magnaq; sydereis uidimus ora Deis,
Si te rure coli, uiridesq; pigebit ad aras,
Qui fueras Latia cultus in urbe mihi,
Da ueniam, seruire tuis quòd nolo Calendis,
Et qua sum genitus, uiuere luce uolo.

De Sabello. 61

Natali pallere suo ne calda Sabello
Desit, & ut liquidum potet Alauda merum,
Turbida sollicito transmittere cæcuba sacco,
Atq; inter mensas ire, redire suas:
Excipere hos illos, & tota surgere cœna
Marmora calcantem frigidiora gelu,
Quæ ratio est, hæc sponte tua perferre, patiq;,
Quæ te si iubeat rex, dominusq; neges?

De Ligurra. 62

Versus, & breue, iuuidumq; carmen
In te ne faciam, times Ligurra:
Et dignus cupis hoc metu uideri.
Sed frustrà metuis, cupisq; frustra.
In tauros Libyci ruunt leones,
Non sunt papilionibus molesti.
Quæras censeo, si legi laboras,
Nigri fornicis ebrium poëtam,
Qui carbone rudi, putriq; cretæ
Scribit carmina, quæ legunt cacantes.
Frons hæc stigmate non meo notanda est.

Ad Saturnum. 63

Antiqui rex magne poli, mundiq; prioris,
Sub quo pigra quies, nec labor ullus erat,
Nec regale nimis fulmen, nec fulmine digna,
Scissa nec ad manes, sed sita dies hiemis:
Lætus ad hæc facilisq; ueni, solennia Prisci
Gaudia: cum sacris te decet esse tuis.
Te reducem patriæ sexta, pater optime, bruma

Pacifici Latia reddis ab urbe Numæ.
Cernis ut Arsonio similis tibi pompa macello
Pendeat, & quantus luxurietur honos?
Quam nõ parca manu, largæq; nomismata mensæ?
Quæ Saturne tibi pernumerentur opes?
Vt si bis pretium meritis, & gratia maior,
Et pater, & frugi, sic tua sacra colit.
At tu sancte, tuo sic semper amere Decembri:
Hos illi inbeas sæpe redire dies.

Ad Cordubam. 64

Vincto Corduba latior Venafro,
Hispana nec minus absoluta uesta,
Albi quæ superas oues Galesi,
Nullo murice, nec cruore mendax,
Sed tinctis gregibus colore uino:
Dic uestro, rogo, sit pudor poëtæ,
Ne gratis recitet meos libellos.
Ferrem, si faceret bonus poëta,
Cui possem dare mutuos honores.
Corrumpit, sine talione, cælebs.
Cæcus perdere non potest, quod aufert.
Nil est deterius, latrone nudo:
Nil securius est malo poëta.

De Cinna. 65

Vincentem roseos facieq;, comaq; ministros
Cinna cocum fecit: Cinna gulosius homo est.

De Phyllide. 66

Formosa Phyllis nocte cùm mihi tota,
Se præstitisset omnibus modis largam,

Et cogitarem manè quod darem munus,
Vtrumne Cosmi, Niceotis an libram,
An Baticarum pondus æris lanarum,
An de moneta Cæsaris decem flauos:
Amplexa collum, basioq; tam longo
Blandita, quam sunt nuptiæ columbarum,
Rogare cœpit Phyllis amphoram uini.

Ad Amœnum. 67

Bis quinquagenis domus est tibi millibus empta,
Vendere quam summa uel breuiore cupis.
Arte sed emptorem uafra corrumpis, Amœne:
Et casa diuitijs ambitiosa latet.
Gemmantes prima fulgent testudine lecti,
Et Maurusiaci pondera rara citri.
Argentã, atq; aurum non simplex delphica portat:
Stant pueri, dominos quos precer esse meos.
Deinde ducenta sonas: & ais, non esse minoris.
Instructam uili uendis, Amœne, domum.

De Idibus Maronis. 68

Maiæ Mercurium creastis Idus.
Augustis redit Idibus Diana.
Octobres Maro consecrauit Idus.
Idus sæpe colas & has, & illas,
Qui magni celebras Maronis Idus.

Ad clientes. 69

Matutine cliens urbis mihi causa relictæ,
Atria, si sapias, ambitiosa colas.
Non sum ego causidicus, nec amaris litibus aptus,
Sed piger, & senior, Pieridumq; comes.

Otia

Otia me, somnusq; iuuant, quæ magna negauit
Roma mihi: redeo: si uigilatur & hic.

Ad Paulum. 70

Sic, tanquam tabulas, scyphosq;, Paule,
Omneis archetypos habes amicos.

De Apro. 71

Linea ferret Apro uacuus cùm uernula nuper,
Et supra togulam lusca sederet anus,
Aeque olei stillam donaret Opelicus unctor:
Nudorum tetricus censor & asper erat.
Frangendos calices, effundendumq; Falernum
Clamabat, biberet qui modò lotus eques.
A sene sed postquam numi uenere trecenti,
Sobrius a thermis nescit abire domum.
O quantum diatheca ualent & quinq; comati!
Tunc, cùm pauper erat, non sitiebat Aper.

Ad Lygdum. 72

Nil non, Lygde, mihi negas roganti:
At quondam mihi, Lygde, nil negabas.

Ad Pannicum. 73

Iugera mercatus prope busta latentis agelli,
Et malè compactæ culmina fulta casæ,
Deseris urbanas, tua prædia, Pannice, lites,
Paruaq; sed tritæ præmia certa togæ.
Frumentum, milium, ptisanamq;, fabamq; solebas
Vendere pragmaticus: nunc emis agricola.

Ad Catullum. 74

Hæredem tibi me, Catulle, dicis.
Non credam, nisi legero, Catulle.

Ad Flaccum. 75

Cùm tibi Niliacus portet cryſtalla cataſtus,
Accipe de circo pocula Flaminio.
Hi magis audaces an ſunt qui talia mittunt
Munera? ſed gemmis utilis uſus ineſt.
Nullum ſollicitant hæc Flacce, toreumata furem:
Et nimium calidis non uitiantur aquis.
Quid? quòd ſecuro potat conuiua miniſtro,
Et caſium tremulæ non timere manus.
Hoc quoq; nonnihil eſt, quòd propinabis in iſtis,
Frangendus fuerit ſi tibi, Flacce, calix.

De pueris. 76

Feſtinat Polytimus ad puellas.
Inuitus puerum fatetur Hymnus.
Paſtas glande nates habet Secundus.
Mollis Dindymus eſt, ſed eſſe non uult.
Amphion potuit puella naſci.
Horum delicias, ſuperbiamq;,
Et faſtus querulos, amice, malo,
Quam dotis mihi quinquies ducenta.

De caritate uini. 77

Amphora uicenis modius datur ære quaterno.
Ebrius, & crudus nil habet agricola.

De Aethonte. 78

Multis dum precibus Iouem ſalutat
Stans ſummos reſupinus uſq; in unguis,
Aethon in Capitolio pepedit.
Riſerunt comites: ſed ipſe diuum
Offenſus genitor trinoctiali

Affecit

Affecit domicænio clientem,
Poſt hoc flagitium miſellus Aethon,
Cùm uult in Capitolium uenire,
Sellas antè petit Patroclianas,
Et pedit deciesq; uiciesq;.
Sed quamuis ſibi cauerit crepando,
Compreſſis natibus Iouem ſalutat.

Ad Bithynicum. 79

Nil in te ſcripſi, Bithynice: credere non uis,
Et iurare iubes: malo ſatisfacere.

Ad Atticillam. 80

Donaui tibi multa, quæ rogaſti:
Donaui tibi plura, quàm rogaſti:
Non ceſſas tamen uſq; me rogare.
Quiſquis nil negat, Atticilla, fellat.

De Calliſtrato. 81

Ne laudet dignos laudat Calliſtratus omnes.
Cui malus eſt nemo, quis bonus eſſe poteſt?

De Vmbro. 82

Brumæ diebus, feriiſq; Saturni
Mittebat Vmber aliculam mihi pauper:
Nunc mittit alicam, factus eſt enim diues.

De Menogene. 83

Effugere è thermis, & circa balnea non eſt
Menogenem, omni tu licet arte uelis.
Captabit tepidum dextra, leuaq; trigonem,
Imputet exceptas ut tibi ſæpe pilas.
Colliget, & reſeret lapſum de puluere follem,
Etſi iam lotus, iam ſoleatus erit.

Lintea si sumas, niue candidiora loquetur,
Sint licet infantis sordidiora sinu.
Exiguos secto comentem dente capillos,
Dicet Achilleas disposuisse comas.
Fumosæ feret ipse tropin de face lagœnæ,
Frontis & humorem colliget usq; tuæ.
Omnia laudabit, mirabitur omnia donec
Perpessus dicas tædia mille, ueni.

De Fabiano. 84

Derisor Fabianus herniarum,
Omnes quem modo colei timebant,
Dicentem tumidas in hydrocelas,
Quantum nec duo dicerent Catulli,
In thermis subitò Neronianis
Vidit se miser: & tacere cœpit.

Ad Polytimum. 85

Nolueram, Polytime, tuos uiolare capillos:
Sed iuuat hoc precibus me tribuisse tuis.
Talis eras modò tonse, Pelops, positisq; nitebas
Crinibus, ut totum sponsa uideret ebur.

In Fabullum. 86

Pædiconibus os olere dicis.
Hoc si sic, ut ais, Fabulle, uerum est,
Quid tu credis, olere cunnilingis?

In non arrigentem. 87

Triginta tibi sunt pueri, totidemq; puellæ.
Vna est, nec surgit mentula: quid facies?

De Cotta. 88

Bis Cotta soleas perdidisse se questus,

Dum negligentem ducit ad pedes uernam,
Qui solus inopi præstat, & facit turbam.
Excogitauit homo sagax, & astutus,
Ne facere posset tale sæpius dammum:
Excalceatus ire cœpit ad cœnam.

De Tongiliano. 89

Tongilianus habet nasum: scio, non nego, sed iam
Nil, præter nasum, Tongilianus habet.

Ad Charinum. 90

Quòd lana caput alligas, Charine,
Non aures tibi, sed dolent capilli.

De Marone. 91

Pro sene, sed charo, uotum Maro fecit amico,
Cui grauis, & feruens hemitritæos erat:
Si Stygias æger non esset missus ad undas,
Vt caderet magno uictima grata Ioui.
Cœperunt certam medici spondere salutem.
Ne uotum soluat, nunc Maro uota facit.

In Magullam. 92

Communis tibi cum uiro, Magulla,
Cùm sit lectulus, & sit exoletus:
Quare dic mihi, non sit & minister?
Suspiras: ratio est: times lagœnam.

Ad Priscum. 93

Sæpe rogare soles, qualis sim, Prisce, futurus,
Si fiam locuples, simq; repente potens.
Quenquam posse putas mores narrare futuros?
Dic mihi, si fias tu leo, qualis eris?

De Fabulla. 94

Qua mœchum ratione baſiaret
Coram coniuge, repperit Fabulla.
Paruum baſiat uſq; morionem.
Hunc multis rapit oſculis madentem
Mœchus protinus, & ſuis repletum
Ridenti dominæ ſtatim remittit.
Quantò morio maior eſt maritus!

In Tuccam. 95

Scribebamus epos: cœpiſti ſcribere, ceſſi,
Aemula ne ſtarent carmina noſtra tuis.
Tranſtulit ad tragicos ſe noſtra Thalia cothurnos:
Aptaſti longum tu quoq; ſyrma tibi.
Fila lyræ mouit doctis exculta Camœnis:
Plectra rapis nobis ambitione noua.
Audemus ſatyras: Lucilius eſſe laboras.
Ludo Iones elegos: tu quoq; ludis idem.
Quid minus eſſe poteſt? epigrãmata fingere cœpit:
Hinc etiam petitur iam mea fama tibi.
Elige quid nolis: quis enim eſt pudor, omnia uelle?
Et ſi quid non uis, Tucca, relinque mihi.

Ad Rufum Inſtantium. 96

Muſci paticiſſimos libellos,
Qui certant Sybariticis libellis,
Et tinctas ſale pruriente chartas
Inſtanti lege Rufe: ſed puella
Sit tecum tua: ne Thalaſſionem
Indicas manibus libidinoſis,
Et fias ſine fœmina maritus.

In Zelotypam. 97

Cùm tibi nota tui ſit uita, fideſq; mariti,
Nec premat ulla tuos, ſollicitetq; toros:
Quid quaſi pellicibus torqueris inepta miniſtris,
In quibus, & breuis eſt, & fugitiua Venus?
Plus tibi, quam domino, pueros præſtare probabo:
Hi faciunt, ut ſis fœmina ſola uiro.
Hi dant, quod non uis uxor dare. Do tamen, inquis:
Ne uagus à thalamis coniugis erret amor.
Non eadem res eſt: Chiam uolo, nolo mariſcam.
Ne dubites, quæ ſit Chia, mariſca tua eſt.
Scire ſuos fines matrona, & fœmina debet.
Cede ſua pueris, utere parte tua.

In Baſſum. 98

Vxor cùm tibi ſit puella, qualem
Votis uix petat improbus maritus,
Diues, nobilis, erudita, caſta:
Rumpis, Baſſe, latus, ſed in comatis,
Vxoris tibi dote quos paraſti.
Et ſic ad dominam reuerſa languet
Multis mentula millibus redempta.
Sed nec uocibus excitata blandis,
Molli pollice nec rogata ſurgit.
Sit tandem pudor, aut camus in ius,
Non eſt hæc tua, Baſſe: uendidiſti.

Ad Bætim. 99

Bætis oliuifera crinem redimite corona,
Aurea qui nitidis uellera tingis aquis:
Quẽ Bromius, quẽ Pallas amat, cui rectior aquarũ

Albula nauigerum per freta pandit iter:
Ominibus lætis noſtras inſtantius oras
Intret: & hic populis, ut prior annus, eat.
Non ignorat onus quod ſit ſuccedere Macro,
Qui ſua metitur pondera, ſerre poteſt.

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATON LIBER XIII. CVI NOMEN INDITVM XENIA.

I

NE toga cordillis, & penula deſit oliuis,
Aut inopem metuat ſordida blatta famem,
Perdite Niliacas Muſæ mea damna papyros:
Poſtulat ecce nouos ebria bruma ſales.
Non mea magnanimo depugnat teſſera talo,
Scenio nec noſtrum cum cane quaſſat ebur.
Hæc mihi charta nuces, hæc eſt mihi charta ſiſtillus:
Alea nec damnum, nec facit iſta lucrum.

In Detractorem. 2

Naſutus ſis uſq; licet, ſis deniq; naſus,
Quantum noluerit ſerre rogatus Atlas,
Et poſſis ipſum tu deridere Latinum:
Non potes in nugas dicere plura meas.

Ipſe ego quàm dixi, quid dentem dente iuuabit
Rodere? carne opus eſt, ſi ſatur eſſe uelis.
Ne perdas operam: qui ſe mirantur, in illos
Virus habe: nos hæc nouimus eſſe nihil.
Non tamen hoc nimium nihil eſt, ſi candidus aure,
Nec matutina ſi mihi fronte uenis.

Ad Lectorem. 3

Omnis in hoc gracili Xeniorum turba libello,
Conſtabit numis quatuor empta tibi.
Quattuor eſt nimium? poterit conſtare duobus:
Et faciet lucrum bibliopola Tryphon.
Hæc licet hoſpitibus pro munere diſtticha mittas:
Si tibi tam rarus, quàm mihi numus erit.
Addita per titulos ſua nomina rebus habebis:
Prætereas, ſi quid non facit ad ſtomachum.

Tus. 4

Serus ut ætherea Germanicus imperet aula,
Vtq; diu terris, da pia tura Ioui.

Piper. 5

Cerea quæ patulo lucet ficedula lumbo,
Cùm tibi forte datur, ſi ſapis, adde piper.

Alica. 6

Nos alicam, mulſum poterit tibi mittere diues.
Si tibi noluerit mittere diues: eme.

Conchis faba. 7

Si ſpumet rubra conchis tibi pallida teſta,
Lautorum cœnis ſæpe negare potes.

Far. 8

Imbue plebeias Cluſinis pultibus ollas:

Vt ſatur in uacuis dulcia muſta bibas.

Lens. 9

Accipe Niliacam Peluſia munera lentem:
Vilior eſt alica, carior illa faba.

Simila ex tritico. 10

Nec poteris ſimilæ dotes numerare, nec aſſis,
Piſtori totics cùm ſit, & apta coco.

Ordeum. 11

Mulio quod non des tacituris accipe mulis.
Hæc ego coponi, non tibi dona dedi.

Frumentum triticeum. 12

Tercentum Libyci modios de meſſe coloni
Sume, ſuburbanus ne moriatur ager.

Betæ. 13

Vt ſitiant fatuæ fabrorum prandia betæ,
O quam ſæpe petet uina, piperq; cocus!

Lactuca. 14

Claudere quæ cœnas lactuca ſolebat auorum,
Dic mihi, cur noſtras inchoat illa dapes?

Ligna acapna. 15

Si uicina tibi Nomento rura coluntur,
Ad uillam monco, ruſtice, ligna feras.

Rapa. 16

Hæc tibi brumali gaudentia frigore rapa
Quæ damus, in cœlo Romulus eſſe ſolet.

Coliculi. 17

Ne tibi pallentes moueant faſtidia caules,
Nitrata uiridis braſſica fiat aqua.

Porri

Porri ſectiui. 18

Fila Tarentini grauiter redolentia porri
Ediſti quoties, oſcula clauſa dato.

Porri capitati. 19

Mittit præcipuos nemoralis Aricia porros:
In niueo uirides, ſtipite cerne comas.

Napi. 20

Nos Amiternus ager felicibus educat hortis,
Nurſinas poteris parcius eſſe pilas.

Aſparagi. 21

Mollis in æquorea quæ creuit ſpina Rauenna,
Non erit incultis gratior aſparagis.

Vua duracina. 22

Non habilis cyathis, & inutilis uua Lyæo:
Sed non potanti me, tibi nectar ero.

Chia ficus. 23

Chia ſeni ſimilis Baccho, quam Setia miſit,
Ipſa merum ſecum portat, & ipſa ſalem.

Cydonia. 24

Si tibi Cecropio ſaturata Cydonia melle
Ponentur, dicas hæc melimela licet.

Nuces pineæ. 25

Poma ſumus Cybeles: procul hinc diſcede uiator,
Ne cadat in miſerum noſtra ruina caput.

Sorba. 26

Sorba ſumus, molles nimium durantia uentres:
Aptius hæc puero, quàm tibi poma dabis.

Spathalion caryotarum. 27

Aurea porrigitur Iani Caryota Calendis,

Sed

Sed tamen hoc munus pauperis esse solet.

Coctana. 28

Hæc tibi quæ torta uenerunt condita menta,
Si maiora forent Coctana ficus erat.

Pruna Damascena. 29

Pruna peregrinæ caric rugosa senectæ
Sume: solent duri soluere uentris onus.

Caseus Lunensis. 30

Caseus Hetruscæ signatus imagine Lunæ,
Præstabit pueris prandia mille tuis.

Caseus Vestinus. 31

Si sine carne uoles ientacula sumere frugi,
Hæc tibi Vestino de grege massa uenit.

Caseus Velabrensis. 32

Non quencunq; focum, nec fumum caseus omnem,
Sed Velabrensem qui bibit, ipse sapit.

Casei Trebulani. 33

Trebula nos genuit: commendat gratia duplex:
Siue leui flamma, siue domamur aqua.

Bulbi. 34

Cùm sit anus coniux, & sint tibi mortua membra:
Nil aliud bulbis quam satur esse potes.

Lucanicæ. 35

Filia Picenæ, uenio Lucanica porcæ:
Pultibus hinc niueis grata corona datur.

Oliuæ. 36

Hæc quæ Picenis uenit subducta trapetis,
Inchoat, atq; eadem finit oliua dapes.

Mala Citrea. 37

Aut Corcyræi sunt hæc de frondibus orti,
Aut hæc Massyli poma draconis erant.

Colostrum. 38

Surripuit pastor quæ nondum stantibus hœdis,
De primo matrum lacte colostra damus.

Hœdi. 39

Lasciuum pecus, & uiridi non utile Baccho,
Dat pœnas: nocuit iam tener ille Deo.

Oua. 40

Candida si croceos circumfluit unda uitellos,
Hesperius scombri temperet oua liquor.

Porcellus lacteus. 41

Lacte mero pastum pigræ mihi matris alumnum
Ponat: & Aetolo de sue dines edat.

Apyrina & Tuberes. 42

Non tibi de Libycis tuberes, & apyrina ramis,
De Nomentanis sed damus arboribus.

Idem. 43

Lecta suburbanis mittuntur apyrina ramis,
Et uernæ tuberes: quid tibi cum Libycis?

Sumen. 44

Esse putes nondum sumen: sic ubere largo
Effluit, & uino lacte papilla tumet.

Pulli gallinacei. 45

Si Libycæ nobis uolucres, & Phasides essent,
Acciperes: at nunc accipe cortis aues.

Persica, nux persica. 46

Vilia maternis fueramus præcoqua ramis:

Nunc in adoptiuis Persica cara sumus.

Panes Picentini. 47

Picentina Ceres nitco sic nectare crescit,
Vt leuis accepta spongia turget aqua.

Boleti. 48

Argentum, atq; aurum facile est, lenamq;, togamq;
Mittere: boletos mittere, difficile est.

Ficedula. 49

Cùm me ficus alat, cùm pascar dulcibus uuis:
Cur potius nomen non dedit uua mihi?

Tubera. 50

Rumpimus alitrem tenero de uertice terram
Tubera: boletis poma secunda sumus.

Turdorum corona. 51

Texta rosis fortasse tibi, uel diuite nardo,
At mihi de turdis facta corona placet.

Anas. 52

Tota quidem ponatur anas: sed pectore tantum,
Et ceruice sapit: cætera redde coco.

Turtur. 53

Dum pinguis mihi turtur erit, lactuca malebis:
Et cochleas tibi habe, perdere nolo famem.

Perna. 54

Caretana mihi fiet, uel massa licebit
De Menapis: lauti de petasone uorent.

Petaso. 55

Musteus est propera, charos nec differ amicos,
Nam mihi cum uetulo sit petasone nihil.

Vulua.

Vulua. 56

Te fortasse magis capiet de uirgine porca:
Me materna graui de sue uulua capit.

Colocasia. 57

Niliacum ridebis olus, lanasq; sequaces,
Improba cùm morsu fila, manuq; trahes.

Iecur anseris. 58

Aspice quàm tumeat magno iecur anseris auo,
Miratus dices, hoc, rogo, creuit ubi?

Glires. 59

Tota mihi dormitur hyems: & pinguior illo
Tempore sum, quo me nil nisi somnus alit.

Cuniculus. 60

Gaudet in effossis habitare cuniculus antris,
Monstrauit tacitas hostibus ille uias.

Attagenæ. 61

Inter sapores fertur alitum primus
Ionicarum gustus attagenarum.

Gallina altilis. 62

Pascitur & dulci facilis gallina farina,
Pascitur & tenebris: ingeniosa gula est.

Capo. 63

Ne nimis exhausto macresceret inguine gallus,
Amisit testes: nunc mihi Gallus erit.

Idem. 64

Succumbit sterili frustra gallina marito:
Hanc matris Cybeles esse decebat auem.

Perdix. 65

Ponitur Ausonijs auis hæc rarissima mensis:

Hanc

Hanc in lautorum mandere sæpe soles.

Columbæ. 66

Ne uioles teneras præduro dente columbas,
Tradita si Gnidiæ sunt tibi sacra duæ.

Palumbus torquatus. 67

Inguina torquati tardant, hebetantq; palumbi:
Non edat hanc uolucrem, qui cupit esse salax.

Galbula. 68

Galbula decipitur calamis, & retibus ales:
Turget adhuc uiridi cùm rudis uua mero.

Cattæ. 69

Pannonicas nobis nunquam dedit Vmbria cattas.
Mauult hæc domino mittere dona Pudens.

Pauo. 70

Miraris, quoties gemmantes explicat alas:
Et potes hunc sæuo tradere dure coco?

Phœnicopterus. 71

Dat mihi penna rubens nomen, sed lingua gulosis
Nostra sapit. quid, si garrula lingua foret?

Phasianus. 72

Argiua primum sum transportata carina.
Ante mihi notum nil, nisi Phasis erat.

Numidicæ. 73

Anserе Romano quamuis satur Annibal esset,
Ipse suas nunquam barbarus edit aues.

Anser. 74

Hæc seruauit auis, Tarpeij templa Tonantis,
Miraris? nondum fecerat illa Deus.

Grues.

Grues. 75

Turbabis uersus nec littera tota uolabit,
Vnam perdideris si Palamedis auem.

Rusticula. 76

Rustica sum perdix: quid refert si sapor idem est?
Carior est perdix: sic sapit illa magis.

Cygnus. 77

Dulcia defecta modulatur carmina lingua
Cantator cygnus funeris ipse sui.

Porphyriones. 78

Nomen habet magni uolucris tam parua gigantis:
Et nomen Prasini Porphyrionis habet.

Mullus 79

Spirat in aduecto, sed iam piger æquore mullus
Languescit: niuum da mare, fortis erit.

Muræna. 80

Quæ natat in Siculo grandis muræna profundo,
Non ualet exustam mergere sole cutem.

Rhombus. 81

Quamuis lata gerat patella rhombum,
Rhombus latior est tamen patella.

Ostrea. 82

Ebria Baiano uenit modo concha Lucrino:
Nobile nunc sitio luxuriosa garum.

Squillæ. 83

Cœruleus nos Lyris amat, quem sylua Maricæ
Protegit: hinc squillæ maxima turba sumus.

Scarus. 84

Hic scarus æquoreis qui uenit obesus ab undis,

Viscéribus bonus est: cætera uile sapit.

Coracinus. 85

Princeps Niliacis raperis Coracine macellis,
Pellæ prior est gloria nulla gulæ.

Echinus. 86

Iste licet digitos testudine pungat acuta,
Cortice depósito mollis echinus erit.

Murices. 87

Sanguine de nostro tinctas ingrate lacernas
Induis: & non est hoc satis, esca sumus.

Gobius. 88

In Venetis sint lauta licet conuiuia terris,
Principium cœnæ gobius esse solet.

Lupus. 89

Laneus Eugamei lupus excipit ora Timaui,
Æquoreo dulces cum sale pastus aquas.

Aurata. 90

Non omnis laudem, pretiumq; aurata meretur,
Sed cui solus erit concha Lucrina cibus.

Acipensis. 91

Ad pallatinas acipensem mittite mensas:
Ambrosias ornent munera rara dapes.

Lepus. 92

Inter aues turdus, si quis me iudice certet,
Inter quadrupedes gloria prima, lepus.

Aper. 93

Qui Diomedeis metuendus setiger agris
Aetola cecidit cuspide, talis erat.

Damæ.

Damæ. 94

Dente timetur aper, defendunt cornua ceruum:
Imbelles damæ quid nisi præda sumus?

Orix. 95

Matutinarum non ultima præda ferarum
Sæuus Orix: constat quod mihi morte canum.

Ceruus. 96

Hic erat ille tuis domitus Cypariſſe capistris?
An magis iste tuus Syluia ceruus erat?

Lalisio. 97

Cùm teneat onager, solaq; lalisio matre
Pascitur: hoc infans, sed breue nomen habet.

Oleum Venafranum. 98

Hoc tibi Campani sudauit bacca Venafri:
Vnguentum quoties sumis, & istud olet.

Dorcas. 99

Delicium paruo donabis dorcada nato:
Iactatis solet hanc mittere turba togis.

Caprea. 100

Pendentem summa capream de rupe uidebis,
Casuram sperres: decipit illa canes.

Onager. 101

Pulcher adest onager: mitti uenatio debet
Dentis Erythræi: iam remouete sinus.

Garum scombrorum. 102

Expirantis adhuc scombri de sanguine primo,
Accipe fæcosum munera chara garum.

Muria. 103

Antipolitani fateor sum filia thyni.

Essem si scombri, non tibi missa forem.

Mel Atticum. 104

Hoc tibi Thesei populatrix misit Hymetti
Pallados à syluis nobile nectar apis.

Faui Siculi. 105

Cùm dederis Siculos medijs de collibus Hyblæ,
Cecropios dicas tu licet esse fauos.

Bassum. 106

Gnossia Minoæ genuit uindemia Cretæ
Hoc tibi, quod mulsum pauperis esse solet.

Picatum uinum. 107

Hæc de uitifera uenisse picata Vienna
Ne dubites: misit Romulus ipse mihi.

Mulsum. 108

Attica nectareum turbatis mella Falernum:
Misceri decet hoc à Ganymede merum.

Albanum. 109

Hoc de Cæsareis mitis uindemia cellis
Misit, Iulæo quæ sibi monte placet.

Surrentinum. 110

Surrentina bibis: nec myrrhina picta, nec aurum
Sume: dabunt calices hæc tibi uina suos.

Falernum. 111

De Sinuessanis uenerunt Massica prælis:
Condita quo quæris Consule? nullus erat.

Setinum. 112

Pendula Pontinos quæ spectat Setia Campos,
Exigua uetulos misit ab urbe cados.

Funda

Fundanum. 113

Hæc Fundana tulit felix autumnus Opimi:
Expressit mulsum Consul, & ipse bibit.

Trifolinum. 114

Non sum de primo fateor, trifolina Lyæo,
Inter uina tamen septima uitis ero.

Cæcubum. 115

Cæcuba Fundanis generosa coquuntur Amyclis.
Vitis & in media nata palude uiret.

Signinum. 116

Potabis liquidum Signina morantia uentrem.
Ne nimium sistant, sit tibi parca sitis.

Mamertinum. 117

Amphora Nestorea tibi Mamertina senecta
Si detur, quoduis nomen habere potest.

Tarraconense. 118

Tarraco, Campano tantum cessura Lyæo,
Hæc genuit Tuscis æmula uina cadis.

Nomentanum. 119

Nomentana meum tibi dat uindemia Bacchum.
Si te Quintus amat, commodiora bibes.

Spoletinum. 120

De Spoletinis quæ sunt cariosa lagœnis
Malueris, quam si musta Falerna bibas.

Pelignum. 121

Massica Peligni mittunt turbata coloni.
Non tu, libertus sed bibat illa tuus.

Acetum. 122

Amphora Niliaci non sit tibi uilis aceti:

Esset cùm uinum, uilior illa fuit.

Massilianum. 123

Cùm tua centenos expugnet sportula cines,
Fumea Messiliæ ponere uina potes.

Cæretanum 124

Cæretana Nepos ponat, Setina putabis.
Non ponit turbæ, cùm tribus illa bibet.

Tarentinum uinum. 125

Nobilis & lanis & felix uitibus Aulon
Det pretiosa tibi uellera, uina mihi.

Vnguentum. 126

Vnguentum heredi nunquam nec uina relinquas.
Ille habeat numos, hæc tibi tota dato.

Corona Rosea. 127

Dat festinatas Cæsar tibi bruma coronas:
Quondam ueris erant, nunc tua facta rosa est.

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATON LIBER XIIII. CVI NOMEN INDITVM APOPHORETA.

I.

SYNTHESIBVS dum gaudet eques, dominusq; Senatus:
Dumq; decent nostrum pilea sumpta Iouem:

Nec

Nec timet Aedilem moto spectare fritillo,
Cùm uideat gelidos iam prope uerna lacus:
Diuitis alternas, & pauperis accipe sortes,
Præmia conuiuæ det sua quisq; suo.
Sunt apinæ, tricæq;, & si quid uilius istis.
Quis nescit? uel quis tam manifesta negat?
Sed quid agam potius madidis, Saturne, diebus,
Quos tibi pro cœlo filius ipse dedit?
Vis scribã Thebas, Troiamq;, malasq; Mycenas?
Lude, inquis, nucibus: perdere nolo nuces.
Quouiscunq; loco potes hunc finire libellum:
Versibus explicitum est omne duobus opus.

Apophoreta. 2

Lemmata si quæris cur sint adscripta, docebo:
Vt si malueris lemmata sola legas.

Pugillares citrei. 3

Secta nisi in tenues essemus ligna tabellas,
Essemus Libyci nobile dentis onus.

Quincuplices. 4

Cæde iuuencorum domini calet area felix,
Quincuplici cera cùm datur altus honor.

Pugillares eburnei. 5

Languida ne tristes obscurent lumina ceræ,
Nigra tibi niueum littera pingat ebur.

Triplices. 6

Tunc triplices nostros non uilia dona putabis,
Cùm se centuriam scribet amica tibi.

Pugillares membranei. 7

Esse puta ceras, licet hæc, membrana uocetur:

Delebis, quoties scripta nouare uoles.

Vitelliani. 8

Nondum legerit hos licet puella,
Nouit quid cupiant uitelliani.

Iidem Vitelliani. 9

Quòd numos cernis, mitti nos credis amicæ.
Falleris, & numos ista tabella rogat.

Chartæ maiores. 10

Non sunt munera, quæ putas puella,
Cùm donat uacuas pocta chartas.

Chartæ epistolares. 11

Seu leuiter noto, seu charo missa sodali,
Omnes ista solet charta uocare suos.

Loculi eburnei. 12

Hos nisi de sulua loculos implere moneta
Non decet, argentum uilia ligna ferant.

Loculi lignei. 13

Si quid adhuc superest in nostri face locelli,
Munus erit: nihil est, ipse locellus erit.

Tali eborei. 14

Cùm steterit nullus uultu tibi talus eodem,
Munera me dices magna dedisse tibi.

Tessera. 15

Non sim talorum numero par tessera, dum sit
Maior, quàm talis alea sæpe mihi.

Turricula. 16

Quærit compositos manus improba mittere talos?
Si per me missit, nil nisi uota facit.

Tabu-

Tabula lusoria. 17

Hæc mihi bisseno numeratur tessera puncto:
Calculus hic gemino discolor hoste perit.

Nuces. 18

Alea parua nuces, & non damnosa uidetur:
Sæpe tamen pueris abstulit illa nates.

Theca calamaria. 19

Sortitus thecam calamis armare memento:
Cætera nos dedimus, tu leuiora para.

Calculi. 20

Insidiosorum si ludis bella latronum,
Gemmeus iste tibi miles, & hostis erit.

Graphiarium. 21

Hæc tibi erunt armata suo graphiaria ferro:
Si puero dones, non leue munus erit.

Dentiscalpium. 22

Lentiscum melius: sed si tibi frondea cuspis
Defuerit, dentes penna leuare potest.

Auriscalpium. 23

Si tibi morosa prurigine uerminat auris,
Arma damus tantis apta libidinibus.

Acus aurea. 24

Tenuia ne madidos uiolent bombycina crines,
Figat acus tortas, sustineatq; comas.

Pecten, ad caluum. 25

Quid faciet nullos hic inuentura capillos,
Multifido buxus quæ tibi dente datur?

Sapo. 26

Caustica Teutonicos accendit spuma capillos.

Captiuis poteris cultior esse comis.

Mattyacæ pilæ. 27

Si mutare paras longæuos cana capillos:
Accipe mattyacas (quo tibi calua?) pilas.

Vmbella. 28

Accipe quæ nimios uincant umbracula soles:
Sit licet & uentus, te tua uela tegent.

Gausapa. 29

In Pompeiano tectus spectabo theatro:
Nam uentus populo uela negare solet.

Venabula. 30

Excipient apros, expectat untq; leones,
Intrabunt ursos: sit modò firma manus.

Culter uenatorius. 31

Si deiecta geres longo uenabula rostro,
Hic breuis in grandem cominus ibit aprum.

Parazonium. 32

Militiæ decus hoc, & grati nomen honoris:
Arma Tribunitium cingere digna ratus.

Pugio. 33

Pugio, quem curuis signat breuis orbita uenis,
Stridentem gelidis hunc Salo tinxit aquis.

Falx cxnse. 34

Pax me certa ducis placidos curuauit in usus.
Agricolæ nunc sum: militis antè fui.

Securicula. 35

Cùm fieret tristis soluendis auctio nummis,
Hæc quadringentis millibus empta fuit.

Ferram

Ferramenta tonsoria. 36

Tondendis hæc arma tibi sunt apta capillis:
Vnguibus hæc longis, inutilis illa genis.

Scrinium. 37

Constrictos nisi das mihi libellos,
Admittam timeas, trucesq; blattas.

Fasces calamorum. 38

Dat chartis habiles calamos Memphitica tellus:
Texantur reliqua tecta palude tibi.

Lucerna cubicularia. 39

Dulcis conscia lecticuli lucerna,
Quicquid uis facias licet, taceb o.

Candela. 40

Ancillam tibi sors dedit lucernæ,
Tutas quæ uigil exigit tenebras.

Lucerna polymyxos. 41

Illustrem cùm tota meis conuiuia flammis,
Totq; geram myxos, una lucerna uocor.

Cereus. 42

Hic tibi nocturnos præstabit cereus ignes.
Subducta est puero nanq; lucerna tuo.

Candelabrum Corinthium. 43

Nomina candelæ nobis antiqua dederunt.
Non norat parcos uncta lucerna patres.

Candelabrum ligneum. 44

Esse uides lignum: serues nisi lumina, fiet
De candelabro magna lucerna tibi.

Pila paganica. 45

Hæc quæ difficili turget Paganica pluma,

Folle

Folle minus laxa est, & minus arcta pila.

Pila trigonalis. 46

Si me nobilibus scis expulsare sinistris,
Sum tua: si nescis, rustice, redde pilam.

Follis. 47

Ite procul iuuenes: mitis mihi conuenit ætas:
Folle decet pueros ludere, folle senes.

Harpasta. 48

Hæc rapit Antæi uelox in puluere draucus,
Grandia qui uano colla labore facit.

Alteres. 49

Quid pereunt stulto sortes altere lacerti?
Exercet melius unca fossa uiros.

Galericulum. 50

Ne lutet immundum nitidos ceroma capillos,
Hac poteris madidas condere pelle comas.

Strigiles. 51

Pergamus has misit: curuo distringere ferro.
Non tam sæpe teret linteа fullo tibi.

Guttus Corneus. 52

Gestauit modò fronte me iuuencus.
Verùm rhinocerota me putabis.

Rhinoceros. 53

Nuper in Ausonia domini spectatus arena,
Hic erit ille tibi, cui pila taurus erat.

Crepitaculum. 54

Si quis plorator collo tibi uernula pendet:
Hæc quatiat tenera garrula sistra manu.

Flagell

Flagellum. 55

Proficies nihil hoc, cædas licet usq; flagello,
Si tibi purpureo de grege currit equus.

Dentrifricium ad edentulum. 56

Quid mecum est tibi? me puella sumat.
Emptos non soleo polire dentes.

Myrobalanum. 57

Quod nec Virgilius, nec carmine dixit Homerus,
Hoc ex unguento constat, & ex balano.

Aphronitum. 58

Rusticus es nescis quid Græco nomine dicar:
Spuma uocor nitri. Græcus es? aphronitrum.

Opobalsama. 59

Balsama me capiunt: hæc sunt unguenta uirorum.
Delicias Nini uos redolete nurus.

Lomentum. 60

Gratum munus erit scisso nec inutile uentri.
Si clara Stephani balnea luce petes.

Laterna cornea. 61

Dux laterna uiæ clausis feror aurea flammis:
Et tuta est gremio parua lucerna meo.

Laterna ex uesica. 62

Cornea si non sum, nunquid sum fusciор? aut me
Vesicam contrà qui uenit esse putat?

Fistula. 63

Quid me compactam ceris, & arundine rides?
Quæ primùm extructa est fistula, talis erat.

Tibiæ. 64

Ebria no smadidis rumpit tibicina buccis:

Sæpe

Sæpe duas pariter sæpe monaulon habet.

Soleæ lanatæ. 65

Desuerit si fortè puer soleasq; libebit
Sumere, pro puero proderit ipse sibi.

Mamillare. 66

Taurino poteras pectus constringere tergo:
Nam pellis mammas non capit ista tuas.

Muscaria pauonina. 67

Lambere quæ turpes prohibet tua prædia muscas,
Alitis eximiæ cauda superba fuit.

Copta Rhodia. 68

Peccantis famuli pugno ne percute dentes:
Clara Rhodos coptam, quam tibi misit, edat.

Priapus siligineus. 69

Si uis esse satur, nostrum potes esse Priapum:
Ipsa licet rodas inguina, purus eris.

Porcus. 70

Iste tibi faciet bona Saturnalia porcus,
Inter spumantes ilice pastus apros.

Muscarium bubulum. 71

Sordida si flauo fuerit tibi puluere uestis,
Colligat hunc tenui uerbere cauda leuis.

Botulus. 72

Qui uenit botulus medio tibi tempore brumæ,
Saturni septem uenerat ante dies.

Psittacus. 73

Psittacus a uobis aliorum nomina discam:
Hoc didici per me dicere, Cæsar aue.

Cornus

Cornus. 74

Corne salutator, quare sellator haberis?
In caput intrauit mentula nulla tuum.

Luscinia. 75

Flet Philomela nefas incesti Tereos: & quæ
Muta puella fuit, garrula fertur auis.

Pica. 76

Pica loquax certa dominum te uoce saluto:
Si me non uideas, esse negabis auem.

Cauea. 77

Si tibi talis erit, qualem dilecta Catullo
Lesbia plorabat, hic habitare potest.

Narthecium. 78

Artis ebur medicæ narthecia cernis habere
Munera quæ cuperet Pactius esse sua.

Flagra. 79

Ludite lasciui, sed tantum ludite serui:
Hæc signata mihi quinq; diebus erunt.

Ferulæ. 80

Inuisæ nimium pueris grateq; magistris,
Clara Prometheo munere ligna sumus.

Pera. 81

Ne mendica ferat barbati prandia nudi,
Dormiat & tetrico cum cane, pera rogat.

Scopæ. 82

In pretio scopas testatur palma fuisse:
Sed pretium scopis nunc analecta dabunt.

Scalptorium. 83

Defendet manus hæc scapulas, mordente molesto

Pulice

Pulice, uel si quid pulice sordidius.

Manuale. 84

Ne toga barbatos faciat, uel penula libros,
Hæc abies chartis tempora longa dabit.

Lectus pauoninus. 85

Nomina dat sponde picturis pulcherrima pennis,
Nunc Iunonis auis, sed prius Argus erat.

Ephippium. 86

Stragula succincti uenator sume ueredi:
Nam solet à nudo surgere ficus equo.

Stibadium. 87

Accipe lunata scriptum testudine signum,
Octo capit, ueniat quisquis amicus erit.

Gustatorium. 88

Fœmineam nobis Cherson si credis inesse,
Deciperis: pelagi masculapræda sumus.

Mensa citrea. 89

Accipe felices Atlantica munera syluas:
Aurea qui dederit dona, minora dabit.

Mensa acerna. 90

Non sum crispa quidem, nec syluæ filia Mauræ:
Sed norunt lautas & mea ligna dapes.

Dentes eborei. 91

Grandia taurorum portant qui corpora, quæris
An Libycas possint sustinuisse trabes?

Quinquepedal. 92

Punctla notis ilex, & acuta cuspide clausa,
Sæpe redemptoris prodere furta solet.

Pocu-

Pocula archetypa. 93

Non est ista recens, nec nostri gloria cæli:
Primus in his Mentor dum facit illa, bibit.

Calices. 94

Non sumus audacis plebeia toreumata uitri:
Nostra nec ardenti gemma feritur aqua.

Phiala aurea cælata. 95

Quamuis Callaico rubeam generosa metallo,
Clarior arte magis: nam meus iste labor.

Calices Vatinij. 96

Vilia sutoris calicem monumenta Vatini
Accipe: sed nasus longior ille fuit.

Lances chrysendetæ. 97

Grandia ne uiola pæruo chrysendeta mulso.
Vt minimum, libras debet habere duas.

Vasa Aretina. 98

Aretina nimis ne spernas uasa monemus.
Lautus erat Tuscis Porsena fictilibus.

Bascauda. 99

Barbara de pictis uenit bascauda Britannis:
Sed me iam maunlt dicere Roma suam.

Panaca Veronensis. 100

Si non ignota est docti tibi terra Catulli,
Potasti testa Rhetica uina mea.

Boletaria. 101

Cùm mihi boleti dederint tam nobile nomen,
Prototomis (pudet heu) seruio cauliculis.

Calices Surrentini. 102

Accipe non uili calices de puluere natos,

Sed Surrentinæ læue toreuma rotæ.

Colum niuarium. 103

Setinos, moneo, noſtra niue frange trientes:
Pauperiore mero tingere lina potes.

Saccus niuarius. 104

Attenuare niues norunt & linea noſtra.
Frigidior colo non ſalit unda tuo.

Vrceoli miniſtratorij. 105

Frigida non deſit, non deerit calda petenti.
Sed tu moroſa ludere parce ſiti.

Vrceus fictilis. 106

Hic tibi donatur panda ruber urceus anſa.
Stoicus hoc gelidam Fronto petebat aquam.

Calathi. 107

Nos Satyrus, nos Bacchus amat, nos ebria tigris:
Perſuſos domini lambere docta pedes.

Calices Saguntini. 108

Quæ non ſollicitus teneat ſeruetq; miniſter,
Sume Saguntino pocula ficta luto.

Calices gemmati. 109

Gemmatum Scythicis ut luceat ignibus aurum,
Aſpice quot digitos exuit iſte calix.

Ampulla potoria. 110

Hac licet in gemma quæ ſeruat nomina Coſmi,
Luxurioſe bibas, ſi foliata ſitis.

Cryſtallina. 111

Frangere dum metuis, frangis cryſtallina: peccant
Secura nimium ſollicitaq; manus.

Nimbus

Nimbus uitreus. 112

Ab Ioue qui ueniet miſcenda ad pocula, largas
Fundet Nimbus aquas: hic tibi uina dabit.

Myrrhina. 113

Si calidum potas, ardenti myrrha Falerno
Conuenit: & melior fit ſapor inde mero.

Patella Cumana. 114

Hanc tibi Cumano rubicundam puluere teſtam
Municipem miſit caſia Sibylla ſuam.

Calices uitrei. 115

Aſpicis ingenium Nili: quibus addere plura
Dum cupit, ah quoties perdidit autor opus.

Lagœna niuaria. 116

Spoletina bibis, uel Marſis condita cellis,
Quò tibi decoctæ nobile frigus aquæ?

Niues. 117

Non potare niuem, ſed aquam potare rigentem
De niue, commenta eſt ingenioſa ſitis.

Idem. 118

Maſſiliæ ſumos miſcere niualibus undis
Parce puer: conſtet ne tibi pluris aqua.

Matella fictilis. 119

Dum poſcor crepitu digitorum, & uerna mouetur,
O quoties pellex culcitra facta mea eſt!

Ligula argentea. 120

Quamuis me ligulam dicant, equitesq; patresq;,
Dicor ab indoctis lingula grammaticis.

Cochleare. 121

Sum cochleis habilis, ſed nec minus utilis ouis.

Nunquid scis potius cur cochleare uocer?

Annuli. 122

Aurè frequens, sed nunc rarus nos donat amicus.
Felix, cui comes est non alienus eques.

Dactylotheca. 123

Sæpe grauis digitis elabitur annulus unctis.
Tuta mea fiet sed tua gemma fide.

Toga. 124

Romanos rerum dominos, gentemq; togatam
Ille facit, magno qui dedit astra patri.

Idem. 125

Si matutinos facilè est tibi rumpere somnos,
Atrita ueniet sportula sæpe toga.

Endromis. 126

Pauperis est munus, sed non est pauperis usus.
Hanc tibi pro regula mittimus endromidem.

Canusiæ fuscæ. 127

Hæc tibi turbato canusina simillima mulso
Munus erit gaude: non citò fiet anus.

Bardocucullus. 128

Gallia Santonico uestit te bardocucullo:
Cercophithecorum penula nuper erat.

Canusinæ rufæ. 129

Roma magis fuscis uestitur, Gallia rufis:
Et placet hic pueris, militibusq; color.

Penula scortea. 130

Ingrediare uiam cœlo licet usq; seueno,
Ad subitas nusquam scortea desit aquas.

Lacernæ

Lacernæ coccinæ. 131

Si neneto, prasino ue fauès, qui coccina sumis,
Ne fias ista transfuga sorte, uide.

Pileus. 132

Si possem totas cuperem mittere lacernas:
Nunc tantum capiti munera mitto tuo.

Lacernæ Bæticæ. 133

Non est lana mihi mendax, nec mutor aheno,
Sic placeant Tyriæ me mea tinxit ouis.

Fascia pectoralis. 134

Fascia crescentes dominæ compescere papillas:
Vt sit, quod capiat nostra, tegatq; manus.

Cœnatoria. 135

Nec sora sunt nobis, nec sunt uadimonia nota:
Hic opus est pictis accubuisse toris.

Læna. 136

Tempore brumali non multum læna prosunt:
Calfaciunt uilli pallia uestra mei.

Lacernæ. 137

Amphitheatrales nos commendamur ad usus,
Cùm tegit algentes nostra lacerna togas.

Gausapa uillosa uel mantilia. 138

Nobilius uillosa tegant tibi linteа citrum:
Orbibus in nostris circulus esse potest.

Cuculli Liburnici. 139

Iungere nescisti nobis, ô stulte, lacernas:
Induerás albas exue Callaicas.

Vdones Cilicij 140

Non hos lana dedit, sed olentis barba mariti:

Cinyphio poterit planta latere sinu.

Synthesis. 141

Dum toga per quinas gaudet requiescere luces,
His poteris cultus sumere iure tuo.

Focale. 142.

Si recitaturus dedero tibi forte libellum,
Hoc focale tuas asserat auriculas.

Tunicæ Patauinæ. 143

Vellera cùm sumant Patauinæ multa trilices,
Et pingues tunicas serra secare potest.

Spongia. 144

Hæc tibi sorte datur tergendis spongia mensis
Vtilis, expresso cùm leuis imbre tumet.

Penula gausapina. 145

Is mihi candor inest, illorum gratia tanta est,
Vt me uel media sumere messe uelis.

Ceruical. 146

Tinge caput nardi solio, ceruical olebit.
Perdidit unguentum cùm coma, pluma tenet.

Cubicularia gausapina. 147

Stragula purpureis lucent illusa tapetis.
Quid prodest si te congelat uxor anus?

Lodices. 148

Nudo stragula ne toro paterent,
Iunctæ nos tibi uenimus sorores.

Amictorium. 149

Mammosas meruo: teneræ me trade puellæ,
Vt possint niueo pectore lina frui.

Cubic.

Cubicularia polymita. 150

Hæc tibi Memphitis tellus dat munera: uicta est
Pectine Niliaco iam Babylonis acus.

Zona. 151

Longa satis nunc sum: dulci sed pondere uentre
Si tuneat fiam tunc tibi zona breuis.

Gausape quadratum. 152

Lodices mittet docti tibi terra Catulli:
Nos Elicaonia de regione sumus.

Semicinctium. 153

Det tunicam dives: ego te præcingere possim,
Essem si locuples, munus utrumq; darem.

Lanæ Amethystinæ. 154

Ebria Sidoniæ cùm sim de sanguine conchæ,
Non uideo, quare sobria lana nocer.

Lanæ albæ. 155

Velleribus primis Appulia, Parma secundis
Nobilis: Altinum tertia laudat ouis.

Lanæ Tyriæ. 156

Nos Lacedæmoniæ pastor donauit amicæ.
Deterior Ledæ purpura matris erat.

Lanæ Polentinæ. 157

Non tantum pullo lugentes uellere lanas,
Sed solet & calices hæc dare terra suos.

Idem. 158

Lana quidem tristis, sed tonsis apta ministris,
Quales non primo de grege mensa uocat.

Tomentum Lingonicum. 159

Oppressæ nimium nicina est fascia plumæ?

Vellera Lingonicis accipe rasa sagis.

Tomentum Circense. 160

Tomentum coniesa palus Circense uocatur:
Hoc pro Lingonico stramine pauper emit.

Pluma. 161

Lassus Amyclæa poteris requiescere pluma,
Interior cygni quam tibi lana dedit.

Fœnum. 162

Fraudata tumeat facilis tibi culcitra pluma.
Non uenit ad duros pallida cura toros:

Tintinabulum. 163

Redde pilam, sonat æs thermarum: ludere pergis?
Virgine uis sola lotus abire domum.

Discus. 164

Splendida cùm uolitent Spartani pondera disci,
Este procul pueri: sit semel ille nocens.

Cithara. 165

Reddidit Eurydicen uati: sed perdidit ipse,
Dum sibi non credit, nec patienter amat.

Idem. 166

De Pompeiano, sæpe est electa theatro,
Quæ duxit syluas, detinuitq; feras,

Plectra. 167

Feruida ne trito tibi pollice pustula surgat,
Exornent docilem garrula plectra lyram.

Trochus. 168

Inducenda rota est: das nobis utile munus.
Iste trochus pueris, at mihi canthus erit.

Idem

Idem. 169

Garrulus in laxo cur annulus orbe uagatur?
Cedat ut argutis obuia turba trochis?

Signum uictoriæ. 170

Hæc illi sine sorte datur, cui nomina Rhenus,
Vera dedit: decies adde Falerna puer.

Bruti Puer, siue pusio. 171

Gloria tam parui non est obscura sigilli.
Istius pueri Brutus amator erat.

Sauroctonos Corinthius. 172

Ad te reptanti puer insidiose lacertæ
Parce: cupit digitis illa perire tuis.

Hyacinthus in tabula pictus. 173

Flectit ab inuiso morientia lumina disco
Oebalius Phœbi culpa, doloráq; puer.

Hermaphroditus marmoreus. 174

Masculus intrauit fontes, emersit utrunq;:
Pars est una patris, cætera matris habet.

Danaë picta. 175

Cur à te pretium Danaë regnator Olympi
Accepit: gratis si tibi Leda dedit?

Persona Germanica. 176

Sum figuli lusus Rufi persona Batani.
Quæ tu derides, hæc timet ora pater.

Hercules Corinthius. 177

Elidit geminos infans, nec respicit angues.
Iam poterat teneras hydra timere manus.

Hercules fictilis. 178

Sum fragilis: sed tu moneo ne sperne sigillum.

Non pudet Alciden nomen habere meum.

Minerua argentea. 179

Dic mihi virgo ferox, cùm sit tibi cassis, & hasta,
Quare non habeas ægida? Cæsar habet.

Europa picta. 180

Mutari melius tauro, pater optime diuûm,
Tunc poteras, Io cùm tibi uacca fuit.

Leander marmoreus. 181

Clamabat tumidis audax Leander in undis
Mergite me fluctus, cùm rediturus ero.

Sigillum gibberi fictile. 182

Ebrius hæc fecit terris, puto, monstra Prometheus:
Saturnalitio lusit & ipse luto.

Homeri Batrachomyomachia. 183

Perlege Mæonio cantatas carmine ranas:
Et frontem nugis soluere disce meis.

Homerus in membranis. 184

Ilias, & Priami regnis in micus Vlysses,
Multiplici pariter condita pelle latent.

Vergilij Culex. 185

Accipe iucundi culicem, studiose, Maronis:
Ne nugis positis, arma, uirumq; canas.

Vergilius in membrana. 186

Quàm breuis immensum cepit mẽbrana Maronẽ?
Ipsius nullus prima tabella gerit.

Menandri Thais. 187

Hæc primum iuuenum lasciuos luxit amores,
Nec Glycere, nec Thais amica fuit.

Cicero

Cicero in membranis. 188

Si comes ista tibi fuerit membrana, putato
Carpere te longas cum Cicerone uias.

Propertius. 189

Cynthia iucundi carmen iuuenile Properti
Accepit famam, nec minus ipsa dedit.

Liuius in membranis. 190

Pellibus exiguis arctatur Liuius ingens,
Quem mea non totum bibliotheca capit.

Sallustius. 191

Hic erit, ut perhibent doctorum corda uirorum,
Primus Romana Crispus in historia.

Ouidij Metamorphosis in membranis. 192

Hæc tibi, multiplici quæ structa est massa tabella,
Carmina Nasonis quinq; decemq; gerit.

Tibullus. 193

Vsit amatorem Nemesis lasciua Tibullum:
In tota iuuit quem nihil esse domo.

Lucanus. 194

Sunt quidam, qui me dicunt non esse poëtam:
Sed qui me uendit bibliopola, putat.

Catullus. 195

Tantum magna suo debet Verona Catullo,
Quantum parua suo Mantua Vergilio.

Calda & Frigida aqua. 196

Hæc tibi quæ fuerint calidarum nomina dicunt:
Ipsa suas melius charta notabit aquas.

Mulæ pomiliæ. 197

His tibi de mulis non est metuenda ruina:

Altius

Altius in terra penè sedere soles.

Catella Gallicana. 198

Delicias paruæ si uis audire catellæ,
Narranti breuis est pagina tota mihi.

Asturco. 199

Hic breuis, ad numerũ rapidos qui colligit ungues,
Venit ab auriferis gentibus, Astur equus.

Canis Vertagus. 200

Non sibi, sed domino uenatur uertagus acer.
Illæsum leporem qui tibi dente feret.

Palæstrita. 201

Non amo, qui uincit, sed qui succumbere nouit:
Et didicit melius τὴν ἀνακλινοπάλην,

Simius. 202

Callidus immissas eludere simius hastas,
Si mihi cauda foret, cercopithecus eram.

Puella Gaditana. 203

Tam tremulum crissat, tam blandũ prurit, ut ipsum
Masturbatorem fecerit Hippolytum.

Cymbala. 204

Aera Celenæos lugentia matris amores
Esuriens Gallus uendere sæpe solet.

Puer cinædus. 205

Sit nobis ætate puer, non pumice læuis,
Propter quem placeat nulla puella mihi.

Cestos. 206

Collo necte puer meros amores,
Ceston, de Veneris sinu calentem.

Idem

Idem. 207

Sume Cythæriaco medicatum nectare ceston:
Vßit amatorem balteus iste Iouem.

Notarius. 208

Currant uerba licet, manus est uelocior illis:
Nondum lingua suum, dextra pergit opus.

Concha. 209

Læuis ab æquorea cortex Mareotica concha
Fiat: inoffensa curret arundo uia.

Morio. 210

Non mendax stupor est, nec fingitur arte dolosa.
Qusquis plus iusto non sapit, ille sapit.

Caput arietinum. 211

Mollia Phryxæi secuisti colla mariti.
Hoc meruit, tunicam qui tibi sæpe dedit?

Pumilio. 212

Si solum spectes hominis caput, Hectora credas?
Si stantem uideas Astyanacta putes.

Parma. 213

Hæc, quæ sæpe solet uinci, quæ uincere raro,
Parma tibi, scutum pumilionis erit.

Pueri comœdi. 214

Non erit in turba quisquam μισούμενος ista,
Sed poterit quiuis esse διεξάποθος.

Fibula. 215

Dic mihi simpliciter, comœdis, & citharœdis,
Fibula, quid præstat? carius ut futuant.

Accipiter. 216

Prædo fuit uolucrum, famulus nunc aucupis: idem

Decip

Decipit, & captas non sibi mœret aues.

Obsonator. 217

Dic quotus es, quanti cupias cœnare: nec unum
Addideris uerbum: cœna parata tibi est.

Calami aucupatorii. 218

Non tantum calamis, sed cantu fallitur ales,
Pallida dum tacita crescit arundo manu.

Corculum. 219

Pauper causidicus nullos referentia numos
Carmina cùm scribas accipe cor, quod habes.

Cocus. 220

Non satis est ars sola coco, seruire palato:
Namq; cocus domini debet habere gulam.

Craticula cum ueru. 221

Parua tibi curua craticula sudet ofella:
Spumeus in longa cuspide sumet aper.

Pistor dulciarius. 222

Mille tibi dulces operum manus ista figuras
Extruet: huic uni parca laborat apis.

Ientacula. 233

Surgite, iam uendit pueris ientacula pistor:
Cristataq; sonant undiq; lucis aues.

FINIS.

Legi 1498. D. Hearnius.

— Cor bubulum mittit Causidico infanti, qui ad Carmina scribenda se conferebat lucri causâ. βοῦς ἐν πόλει, νοῦς μεῖω.